3103.

CASPARIS CON

TARENI PATRICII VENE-
ti, De magistratibus, & repub.
Venetorum libri
quinq.



BASILEAE ANNO
M D XLVII.

Cum priuilegio Imp. Maiestatis.

AD LECTOREM C. NVcillani carmen.

Magnificos opibus Venetos belloq; potentes,
Hic liber exiguus candide lector habet.
Hos uada cœrulei concludunt undiq; ponti,
Vlla haud quò ualeat denſa nocere phalanx.
Extendere ſuum tam latis finibus ingens
Imperium, fauit Mars ferus ille uiris.
Conſilijs ſanis hi tanta trophæa tulerunt,
Vt feriat ſummum ſydera celſa decus.
Quis bonus ordo tam claros afflarit honores,
Hic liber exiguus lector amice docet.



14042

CLARISSIMO AC DOCTISSIMO
Iureconsulto, domino Viglio Zuichemo, Cæsareo senatori apud Mechlyniam, Sigismundus Gelenius S.

I huius commentationis autor ipse editionem maturauisset, Vigli amicorum doctissime, quẽcunq; eius inscriptione dignatus esset, ei profecto haud mediocre ornamentum inde contigisset. Erat enim (ut constans fama est) Caspar Contarenus, si quis unquam Veneti nominis, genere, opibus, prudentia, literatura denique ornatissimus, ad summas dignitates & natus, & suis præcipue uirtutibus prouectus: magnamq; de se spem concitauerat apud quotquot reipublicæ Christianæ tranquillitati consultum cupiunt: eiq; satisfacturus uidebatur, modo licuisset nõ perfatorum malignitatem, ut isti loquuntur, sed per quosdam qui nihil probant nisi quod ipsi faciunt, quum tamen nihil unquam boni faciant. Cæterum post ho

minem magno bonorum dolore ne dicam indignatione ſublatum, nactus hũc tam bene nati ingenij fœtum, quaſi ſuo parente orbatũ ac per hoc nemini nuncupatum, arrepta tam parata occaſione tibi gratificandi, nolui omni patrocinio deſtitutum in publicum emittere: ſed tibi ex more iam peruulgato dedicãdum duxi: non alio nomine mihi hoc uendicans, niſi quòd quantum in me fuit operam dedi, ne quid per operas typographicas detrimenti acciperet. Alioqui erat Contarenus ſuapte uel uirtute uel dignitate â Momorum genuinis ſat tutus: apud noſtrates tamen per quos publici iuris fit, aliquanto erit fauorabilior Viglij calculo comprobatus, hominis non ſolum apud uniuerſam Germaniam merito gratioſi, ſed qui etiam de rebus Italicis æſtimationem facere poſsit: ut qui olim in celeberrimo Venetorum ditionis gymnaſio iuris interpretationem profitens, ſuam induſtriam magno auditorum applauſu approbauerit. Spero itaq; tuum uir doctiſsime nomen cum Contareni æquè docti nomine coniunctum

in eam

in eam expectationem lectores erecturum, ut nihil me amplius de lectionis fructu polliceri opus sit. Illud tamen non uane mihi præsagire uideor, unūquemq; aut senatorem aut qui alioqui in parte reipublicæ administranda uersetur, non solum ex inclytæ huius urbis politiæ cognitione eximiam uoluptatem perceptu rum: uerum etiam ex tam absoluto exemplari, ceu Polycleti canone, aliquid excerpturum ad cōmodum suæ reipublicæ duntaxat pro ipsius ratione & natura: quandoquidem ex triplici administrandi publica genere talem mixturam hic agnoscere licet, quali nulla concinnior in hanc usq; diem uel excogitari à sapientibus potuit, uel memoriæ prodita à scriptoribus reperitur. Vale & fruere, meq; amare perge. Basiliæ,

Cal. Ian. anno salutis

M. D. XLIIII.

CASPARIS CONTARENI PATRICII VENETI, de magistratibus & republica Venetorũ, liber primus.

AE PENVMERO animaduerti cõplures aduenas, prudẽtes homines, nec bonarum artium ignaros: quum primũ Venetias ueniſſent, ac amplitudinem eius urbis contemplati eſſent, adeò ſunt admiratione & ueluti ſtupore quodam perculſi, ut nihil mirandum magis, aut illuſtrius ſe unquam uidiſſe præ ſe tulerint, ac totius oris ſignificatione oſtenderint. Non tamen omnes admiratio eiuſdem rei capiebat. nam quibuſdam mira quædam res, ac prorſus incredibilis eſſe uidebatur, tam magnam mercium omnium copiam, ex omnibus terrarum oris ac regionibus, perpetuo quodam ac cõſtanti

tenore, in hanc unam ciuitatem inuehi indeque in longe diuersissimas gentes terra mariq; deduci. At alios detinebat urbis frequentia, & omnium propemodum gentium conuentus, ac li communeorbis emporium, Veneta ciuitas esset. Nonnulli mirabantur magnitudinem imperij, latamq; & terra & mari ditionem. At plericq; omnes politioris & acrioris ingenij homines, hanc nouam situs urbis rationem atq; adeò ad omnia oportunam, ut deorum immortalium potius, quàm hominum opus atque inuentum fuisse putare soliti sint, ac ob hanc potissimum causam Venetam urbem omnibus alijs præstare, quæ usquã gentium sunt, aut unquam fuerunt. Ac nimirum, si superiora perspexeris, etiam hac tempestate nonnullas urbes inuenire facile poteris, quas cum hac nostra conferas. Non paucas uero seculis retroactis, quæ & imperij magnitudine, & frequentia populi, rerumq; omnium copia & magnificentia urbi Venetæ longe præstitere. uerum post hominum memoriam, nulla unquam gentium ciui-

tas

tas extitit, quæ tam opportuno, tam tuto, ac tandem tam alieno ab hominum fide, ſitu condita fuerit. Plerique in condenda ciuitate ſatis ſe feciſſe arbitrati ſunt ſi locum delegiſſent, ad quem difficilis & incommodus hoſtibus acceſſus eſſet ad inuadendam obſidendamq; urbem. inde euenit, ut complures ciuitates conditæ ſint, aut in montium ſalebris, aſpero difficilique acceſſu, aut locis paluſtribus. diuerſa quadam ratione nonnulli nihil præferendum cenſuere commodo oportunoq; ſitui ad importanda exportandaq; omnia, ſine quibus ſufficere ciuitas ſibi nequeat, tum ad neceſsitatem, tum ad molliorem quẽdam uitæ luxum. Qui uero utrique rei ſtuduerint, paucos admodum inuenias, pauciores uero qui id preſtiterint, nullos autem quos ſciam, qui omni ex parte id fuerint aſſequuti. At Venetiarũ ſitus diuino potius quodam conſilio, quàm humana induſtria præter fidem eorum omnium, qui eam ciuitatem non uidere, & ab omni impetu terra mariq; tutiſsimus eſt, nec non etiam aptiſsimus omnium, ad cuiuſq; rei

copiam, siue ex mari, siue ex continente ciuibus suggerendam, atque ad commercia omnis generis mercium, cum omnibus penè nationibus habẽda. Nam in recessu penetraliq; Adriatici pelagi est sita, ubi quà mare attinet ad continentem terram, magna æstuaria panduntur, miro artificio naturæ munita. Nam XII. millibus passuum à cõtinente mare incipit esse uadosum, intra uada breuiáque littus assurgit ueluti agger quidam. Hæc fluctibus fremituq; marino obsistentia, uniuersam eam stationẽ internam, longe lateq; fusam adeò tutam reddunt, ut non tantum maris impetus, quum assurgit etiam ualida tempestate, ad interiora non nisi fractus penetrare possit, uerumetiã neq; nauibus ad uentãtibus liber aditus pateat. Quin potius opus est, nisi leues admodũ fuerint, ut his in locis, ubi uenientibus occurrũt uada, in anchoris consistant: nactæ deinde tranquillam tempestatem â peritisq; gubernatoribus, seu potius uadorum exploratoribus circumactæ angusta quadam & implicata uia, quà scilicet altior

altior est unda, (hæc uero singulis ferè diebus ęstu maris mutatur & uariat) tandem ad urbem perueniant. Littus illud quod assurgit post uada, sexaginta fermè milibus passuum extenditur, atq; interiora æstuaria concludit. Non ita tamen cõtinuum est, quin septem locis diruptum mari aditũ ad internam stationẽ præbeat. Distat autem à continente sex millibus passuum. Hac ergo ratione Venetæ urbis æstuaria partim continente terra, partim littore ac uadis concluſa sunt, in quibus medijs, ea regione quæ Riuoaltus dicta à maioribus, in hũc usq; diem nomen seruauit, condita fuit urbs Veneta: quo tempore Hunni duce Attila totam oram Venetam, insignem Italiæ prouinciam, quæ hisce æstuarijs finitima est, igne ac cædibus deuastabant. in qua calamitate Patauij, Aquileiæ, Opitergij, Concordiæ atq; Altini illustrium Venetiæ urbium ciues, qui & nobilitate, & diuitijs alijs præstitere, primum se cũ familijs recepere in nõnullas insulas, seu potius tumulos, qui in æstuarijs ijsce paululum è mari eminebãt: ibidemq;

demq; oppida extruxere in quibus tanquam in tutissimo portu turbulentissimam illam Attilæ tempestatem effugerent. necnon eodem tempore in littore (de quo supra meminimus) nonnulla oppida fuere, eò conuenientibus eiusdem oræ incolis, qui primas item sedes reliquerant, ab Hunnis direptas, ac dirutas: tutúmque locum quæsierant uxoribus, liberísque, ac (ut ita dicam) díjs penatibus. Postmodum Caroli Pipiníq; regum temporibus communi cõsilio omnes in Riuoaltum cõuenere ueluti in locum omnium tutissimum, & maxime commodum: sicq; eo loci conuenientibus omnibus, quicunq; uexationem & deuastationem eam Italiæ illatam ab omni barbarorum illuuie effugere potuerunt, in eam magnitudinem quam nunc cernimus excreuerunt Venetiæ. Vrbis igitur Venetæ situm maxime tutum esse líquere omnibus potest, uel ex ipsa ratione eius urbis constituendæ, quum sibi homines illam condiderint, qui eam Italiæ cladem atrocissimam effugere; ibíque incolumes cum

fami-

familijs in tantis calamitatibus perstitere. quin post ea tempora (quod nulli unquam ciuitati legimus contigisse) à prima urbis origine ad hæc usque tempora per mille ferè ac centum annos immunis semper ab hostili ui urbs Veneta perseuerauit, quum tamen opulentissima ditissimáque auri argentiq; ac rerum omnium ciuitas ab extremis etiam orbis regionibus barbaros ad prædam potuerit inuitare. Quo fit, ut non male sentire existimem eos, qui una hac ratione Venetias cæteris ciuitatibus præstare censuere. Verum aliud quiddam est in hac ciuitate, quod longe omnium præstantissimum censuerim ego: mecumq; omnes, qui ciuitatem, non tantum mœnia ac domos esse putant, sed existimant ciuium conuentum ac ordinem potissimum hoc sibi nomen uendicare: reipublicæ scilicet ratio & forma, ex qua beata uita hominibus contingit. hoc ego reor esse eximium illud ac præclarum, quo Venetiæ maxime eniteant, atq; omnem antiquitatem superare uideantur. nam & si compertum est, nonnullas respublicas

blicas extitisse, quæ imperio, ditione, necnon militiæ ac bellorum gloria reipublicæ Venetæ longe præstiterint, nulla tamen institutione ac legibus ad bene beateq; uiuendum idoneis, cum hac nostra conferri potest: quo effectum esse perspicimus, ut neque adeò diuturna ulla unquã perstiterit. Quam rem cum mecum ipse considero, magnopere mirari soleo maiorum nostrorum sapientiam, industriam, excellentem animi uirtutem, atque adeo incredibilem erga patriam charitatem. Fuere Athenis Lacedæmone ac Romæ nonnulli ciues uitæ probitate, atque in rem publicam insignes pietate uiri: sed adeò pauci, ut multitudine obruti non multum rei patriæ profuerint. At maiores nostri, à quibus tam præclaram rempublicam accepimus, omnes ad unum consensere in studio patriæ rei formandæ, & amplificandæ, nulla propè priuati commodi & honoris habita ratione. Huiusce rei consecturam facere quiuis facile poterit, minime inquam ambitiosos fuisse Venetos homines, sed patriæ commodo tantum

tum ſtuduiſſe: quòd nulla, aut admodum pauca, antiquorum monumenta Venetijs extant, alioquin domi foriſq; præclariſsimorum hominum, & qui de republica bene meriti fuerint, non ſepulchra, non equeſtres ſtatuæ, non roſtra nauium, aut uexilla ab hoſtibus direpta, ingentibus prælijs ſuperatis. Vnum ex innumeris gẽtilis mei Andreæ Contareni Ducis exemplum adferam. Genuenſi bello grauiſsimo ac longe omnium periculoſiſsimo, cũ dux hic noſtræ reipublicæ præeſſet, incredibili ſapientia animiq; magnitudine ſingulari rem patriam ſeruauit, hoſtesq; iam uictores maxima clade illata profligauit: omnesq; ad unum, aut trucidauit, aut captiuos fecit. conſeruata patria, re aucta firmataq; republica diem extremum clauſit, ac teſtamento cauit, ne eius ſepulchro, quod ad hunc uſque diem uiſitur iuxta templum diuo Stephano dicatum, ulla ducis inſignia, ullaue gẽtis noſtræ affigerent. quin neq; tam magni ducis nomen inſcriptũ ibidem uideas: quin eius modeſtia effectum eſt, ut uiri celeberri-

berrimi illustrissimiq; principis monumentum plericq; omnes ignorent. certissimum hoc reor ego argumentum esse, non ambitionis uentosæq; famæ maiores nostros studiosos fuisse, sed patriæ tantum bono, communiq; utilitati consuluisse. hac ergo incredibili uirtute animi, maiores nostri hanc rempublicam instituere, qualem post hominum memoriam nullam extitisse, si quis hanc nostram cum celeberrimis antiquorum cõferat, meridiana luce clarius intueor: quum adserere ausim, neque monumentis insignium philosophorum, qui pro animi uoto formas reipublicæ effinxere, tam recte formatam atque effictam ullam contineri. Quamobrem putaui ego exteris hominibus rem minime ingratam me facturum, si tam præclarę reipublicæ institutionem literis mandarem, quum præsertim nullum ijsce temporibus uideam, ex quamplurimis doctissimis uiris, qui multum ualent ingenio, eruditione rerum omnium, ac eloquentia, hanc rem literis illustrauisse. Cui licet nihil luminis ex oratione nostra

ſtra afferri poſſe certò ſciam, per ſe tamen eſt adeò illuſtris, ut nõ tantum ſibi, uerumetiam orationi alioquin tenui multum ſplẽdoris & dignitatis ſit allatura. Quamobrem cum de hac noſtra republica ſcribere inſtituerim, ut quilibet facile dignoſcere queat, rectè ne an perperã ſe habeat, hinc mihi potiſsimum exordiũ ſumẽdum reor. Hominẽ ſcilicet à natura ciuile animal effectũ eſſe, ſolum uero ne dum recte uiuere, ſed nec uiuere poſſe: id quod quotidiana neceſsitas ac uictus ueſtitusq; ratio planè oſtẽdit: ac ob eam cauſam, & à principio homines conueniſſe in hanc ciuilem ſocietatẽ, ac deinde perſeueraſſe, ut bene beateq; uiuerẽt, hoc eſt, ut mutuo adiumento ac opera ſummum hominis bonum aſſequerentur, quoad fieri poteſt, donec mortalẽ hãc uitam degimus. Quamobrem etiã uniuerſa ratio ciuilis inſtitutionis eò pertinet, ut qua faciliori uia id fieri queat, ciues faciat felicis uitæ cõpotes. At felix beataq; uita uſu uirtutis præcipue contineri à ſummis philoſophis perhi-

betur, quod etiam probant certissimis rationibus, & argumentis euidentissimis. Verum usus uirtutis & in muneribus bellicis elucet, & in functionibus pacis. Atqui quamuis laus bellica, totaq; militaris ratio tum necessaria sit ciuitatibus pro cõseruanda libertate, ac finibus tuendis, tum etiã dignitatis & splendoris plurimũ habeat, nihilominus respuit communis hominũ sensus officia bellica, quibus cædes ac mortalium detrimenta imprimis procurantur, esse per se expetenda, atq; ad ea cætera omnia ciuilia munera esse referenda. ac quidẽ crudelis ingenij, quin potius ab humanitate abhorrentis hominis esset, optare prælia, cædes, incẽdia, hac duntaxat de causa, ut in re militari clarus sit, adde etiã si libeat, ut summi imperatoris laudem cõsequatur. Quare omnes philosophi insignioris notæ in hanc sententiam cõsentire, bellum propter pacem expetendum esse, omnemq; functionẽ uirtutis militaris atq; uniuersam laudẽ bellicam ad pacis officia esse referendam. Quamobrẽ is rei

publicæ

publicę inſtitutor, qui laude dignus haberi, & ut dici ſolet, omne punctũ tuliſſe uideri uult, eam moderationẽ adhibeat, ac eum ordinem tueatur, ut ad uirtutem accõmodata tota reipublicæ inſtitutio uideatur: ad idq́, ut ad pacis functiones magis q̃ ad bellica munia ſpectare exiſtimetur, bellicis interim & militaribus nõ neglectis. Nam plerunq́ & finibus tuendis & propagandis (dummodo id ſine iniuria fiat) neceſſaria eſt militaris uirtus. Cæterũ iſs, quæ diximus, conſtitutis, illud ſtatim in cõtrouerſiam reuocari ſolet, gubernatiõi ciuitatis unus rectiúsne, an pauci præſideant, an potius uniuerſa multitudo: qualem pleriq́ effingũt ſtatum illius, quæ proprie reſpublica uocari debeat. At quidẽ egregie ſtatutũ, ſapienterq́ dictum mihi uideri ſolet, hominum gubernationem perperam homini cuipiam demãdari, ſed diuinius aliquid eſſe oportere, cui officium iſtud incũbat: quod cogноſci facile poteſt ex pleriſq́ generibus animantiũ, gregem enim ouiũ ouis nõ regit, nec equorum

aut bonum armẽtum bos equusúe aliquis moderatur, sed animal longe eximium tuetur, ac regit brutas animantes: homo inquam, qui quãtum brutis antecellat, est omnibus compertissimum. Itaq; non diuersa ratione hominem moderari ac regere debet quippiam homine præstantius & diuinius, si ex animi sentẽtia res successura sit. Sed cum in mũdanis rebus, quæ sensu percipiuntur, inueniri minime possit melius ac præstãtius homine, ac homo uarium quoddam sit animal, & longe diuersis partibus cõstet inferioribus quippe animi uiribus cum belluis communionẽ habet, at supremis quodammodo deos immortales attingit: id rectè inter homines gubernatoris atq; moderatoris locum tenere debet, quod est in homine diuinum. id uero omnium consensu est mens, diuini tanquã splẽdoris radius quidã à natura insitus hominum animis. Nõ ergo satis reipublicæ consultum erit, si gubernatio homini committatur, quem brutæ illæ uires sæpe perturbant, atq; à recta semita reuocant

uocant rationis, sed menti puræ ac motionum animi immuni, id munus conferendum est. Quamobrẽ diuino quodam consilio cum alia ratione id fieri nõ posset, inuẽtis legibus hoc assequutum humanum genus uidetur, ut menti tantum ac rationi nullis perturbationibus obnoxiæ hoc regẽdi hominum cœtus officium demãdatum sit. Quod sanè deorum munus, nescio an ullo inferius existimari debeat, si quis accurate secum putet legum cõmoda. Primo nanq; in sanciendis, plurimi sapientes uiri conueniunt, qui multarum rerum experientia docti inuẽtis aliorum, exẽplisq; ueterum collatis, tandem post diuturnam consultationem decernũt id quod optimum uisum fuerit: neq; odio tũc, aut amicitia, aliáue animi perturbatione à uirtute deduci possunt, quum nullius priuati causa agat in legibus constituendis, quemadmodũ in forẽsibus iudicijs semper accidit. Post uero leges sancitas, si quis contra eas fecisse deprehendat, isq; pœnas dederit, quas leges iusserint, iure nullum ha-

bere odio poterit. Proindeq; metuendum non erit, ne qua seditio aut simultas inter ciues contrahatur, maxima & periculosissima rerum publicarum labes. Contrà plerunq; in iudicijs hominum, ni ui legum quispiam plectitur, discordiæ inimicitiæq; graues proueniunt. Nam est propè impossibile quin male affecti in eum simus, qui nobis detrimentum attulerit, quo fit ut nescio am an à natura omnium parente hominum generi maius quippiã concessum fuerit hac legum inuẽtione, quæ etiam iure dijs immortalibus fuit ab antiquitate consecrata. quin quod magis mirum uideatur, Aristoteles philosophorum facile princeps in eo libello, quẽ De mundo ad Alexandrũ Macedonũ regem scripsit, nil aliud reperit, cui similem deũ optimũ faceret, præter antiquam legem in ciuitate recte institutã: ut id propemodum tam magni philosophi sentẽtia sit, deus in hac rerum uniuersitate, quod antiqua lex in ciuili societate. Ac in libris in quibus de republica tractat, legẽ inquit esse mẽtem

sine

sine appetitu: ac si diceret mentem puram, lucidam, nullis affectuum morbis infectã. ex quibus effici illud, quod superius diximus maxime opportunum atq; optimum esse, quilibet perspiciat homo etiam tardioris ingenij, ut scilicet diuinius quippiã homine cœtus hominũ moderet ac regat. Quòd si huic gubernationis muneri præficiatur homo, quũ rari admodum sint & prudentia & probitate prędíti, hiq; plerunque ob affectuũ animi uim cum in iudicando errent, tum maxime à recta animi sententia dimoueantur, nõ sine turbatione magna, ingẽtiq; periculo res processura sit. quod etiam si fieri posset, ut hominem inueniremus, adeò sapientem atq; probum, atq; adeò propositi tenacem, ut nulla animi perturbatione ab officio reuocaret: utiq; hac conditione minime optandus esset pro legũ principatu hominis dominatus, qui mortali fragiliq; natura prædítus, diutius eo munere fungi nequiret, quum leges æternitatem (ut ita dixerim) æquare possint. Ex his iam persuasum

esse reor, summam imperij cõmendandam esse legibus non homini: q̃ paucissima uero, quando legibus comprehendi non possunt, hominis arbitrio permittenda. Verum necesse est, ut custos quispiã ac ueluti uicarius & minister legibus constituatur, qui pro legis imperio rempublicã regat: & quoniã neq; legibus comprehendi quæcunq; possunt, quæ in iudicium ueniũt, tum quæ cõsultanda sunt, arbiter sit huiusmodi omnium. Rursusq; eadem cõtrouersia redit, quæ ex legũ sanctione soluta esse alicui uideri potuisset: an scilicet unus melius, an pauci, an potius multitudo tuendis legibus, & his dijudicandis ad quę satis esse leges nõ possunt, præferenda sit. At quamuis multorum sententia regius dominatus alijs habeatur præstantior, crediderim tamen ego, tametsi unius principatus, qui uere regiam dignitatẽ ac iure merito uendicaret sibi, si res per se consideretur, optimus omnium est: nihilominus propter sæpius in deteriorẽ partem labile ingenium hominis ac uitæ bre-

breuitatem optimũ omnium ſtatum minime eſſe ſub regio principatu, ſed multitudinis gubernationem ciuili ſocietati magis conuenire: quod experientia rerum omniũ magiſtra luculenter docet. Nam nullum regium principatum apud ueteres extitiſſe unquam legimus, neq; noſtra tempeſtate conſpeximus, qui nõ breui in tyrannidem lapſus ſit. Cõtrà plurimas reſpublicas multis ſeculis perduraſſe ac pace et bello floruiſſe. At quidem multitudo omnis gubernationi per ſe inepta eſt, niſi in unũ quodam modo coaleſcat: quandoquidẽ neq; multitudo ulla eſſe queat, niſi unitate aliqua cõtineatur. Quare ciuilis quoq; ſocietas diſſipabit̃, quæ unitate quadam conſtat, niſi quapiam ratione multitudo unum efficiatur. Quo fit ut præclari philoſophi, qui de reipublicæ inſtitutione præclare ac curateq; ſcripſerunt, temperãdam rem publicam cenſeant ex optimatium & populari ſtatu, eo adhibito temperamento, ut incommoda utriuſq; gubernationis uitentur, cõmoda uero com-

parentur. Quo circa rempublicam Lacedæmoniorũ ſummopere laudant, in qua reges & Ephori effecerint mixtionem quandã, ut bene dignoſci nequeat, ſub quanam gubernationis ſpecie fuerit ea reſpublica collocanda. Id tamen reprehendunt, quòd duntaxat ad belli munera inſtituta fuerit, nulla interim habita ratione officiorum pacis, atq; ociĳ: indeq; effectum eſſe, ut q̃ primum in ocio eſſe cœperunt, reſpublica illa inſignis in deterius labi cœperit: quod etiã Romanis accidiſſe eadẽ prope cauſa cõpertum eſt, nec euentu rum latuit præcipuos Romanos ſenatores. ex quibus Naſica cenſuit Carthaginem, tametſi Romani nominis æmulam, quin potius inimicam ſempiternam, minime diruendam eſſe: ut ſemper Romanus hoſtem haberet, cũ quo agendum armis eſſet: ne inimico atq; æmulo ſublato ea reſpublica inſtituta ad bellum iuuentusq; in armis educata in ſeſe arma conuerteret. Quod Naſicæ conſilium, quãuis à ſenatu tunc repudiatum fuerit contraq; eius ſententiam

tiam decretum, rerum tamen ipsarum euentus prudentissimum fuisse ostendit. nam euersa Carthagine continuo ferè bella ciuilia exarsere, quibus tandem florētissima ac potentissima omnium quæ unquam fuerunt respublica concidit, ac demum in Barbarorum prædam cessit opulentissima, seu potius rerum domina ciuitas. Sed ut aliquādo ad institutum opus ueniamus, maiores nostri qui Venetam rempublicam instituerunt, mira quadā sapiētia atque egregia probitate præditi extitere, à quibus nihil prętermissum sit, quod facere uideri potuerit ad rectam reipublicæ institutionem. Primum namq; ad usum muneraq; uirtutis instituere omnem uitam functionemq; suorum ciuium, semperq; eis fuere potiora studia pacis quàm belli. Et in eam curam incubuere, ne qua ratione concordia ciuilis solui posset, non neglectis interea officijs bellicis, his inquam quę nostræ ciuitati maxime conuenirent. nam is est urbis situs, qui ualde idoneus sit maritimæ militię, terrestri

ſtri uero ſatis ineptus. Neq; enim huic urbi aliquo pacto accommodari queunt, aut equitum turmæ, aut peditũ acies, ut ex his quæ ſupra de urbis ſitu à nobis accurate deſcripto diximus, perſpicue conijci poteſt. Enimuero hac in re temperiem adhibuere, eãq; mixtionem omnium ſtatuum, qui recti ſunt, ut hæc una reſpublica, & regium principatũ & optimatiũ gubernationẽ, & ciuile itẽ regimen referat: adeò ut omnium formas pari quodam libramẽto commiſcuiſſe uideantur, quod clare ex operis proceſſu liquebit. Verũ ut tandem reipublicæ Venetæ inſtitutionẽ aggrediamur, illi apud quos ſumma eſt totius ciuitatis authoritas, & ex cuius decretis ac legibus pendet tum ſenatus tum etiam omniũ magiſtratuũ authoritas, conſilium illud eſt, in quo nobiles ciues omnes conueniunt, qui annum XXV. exceſſere, aut plerique alij qui nondum id ætatis habent quum tamen annum XX. peregerint, quod ius ſortis beneficio adipiſcuntur: de cuius rei uniuerſa ratione inferius dicemus.

Nunc

Nunc à nobis eius ratio est explicanda, probe à maioribus nostris cautum fuisse ne plebs admitteretur ad cõuentum hunc ciuiũ, in quo est summa potestas reipublicæ. Deinde non minore prudentia factam fuisse ciuiũ hanc diffinitionẽ generis nobilitate potiusquã facultatum censu, quemadmodũ fieri cõsueuerat in priscis rebusp. uti plerique ueteres philosophi præcipiunt esse faciendum. Ciuitas nanq; ciuium societas est: nec tamen omnes hi homines, quib. indiget ciuitas, aut qui intra mœnia urbis habitãt, sunt habendi pro ciuibus, neq; iure in ciuiũ numero sunt collocãdi. Opificibus enim cuilibet ciuitati est opus, necnõ mercenarijs plurimis, ac priuatis demum seruis, qui operam locãt: at nullus horum ciuis uere dici potest. nam ciuis liber est homo: hi uero omnes seruitutem seruiũt, uel priuatam, uel publicam. Mercenarij nãq; & opifices omnes ueluti serui publici haberi debent. Etenim non dissimili modo à natura constitutum fuisse animal putandum est, ac ciuitatem ab

homi

hominibus constitui oportere. In animante uero multæ sunt partes, quę animatæ non sunt, illis tamen indiget animal, ut uiuat: sic in ciuium cœtu multis hominibus est opus, qui tamẽ minime partes ciuitatis aut esse aut haberi debeant, nec in ciuiũ numero collocari. Quamobrẽ sapienter à maioribus nostris cautum est, ne uniuersus populus summã potestatem habeat in hac republica, quam longe optimam uoluerũt. Summa nãq; turbatio populares q; tumultus frequenter concitantur in illis ciuitatibus, in quibus summa rerũ est apud populum: quod etiam à quibusdam rebusp ublicis obseruatũ fuisse legimus, & à nõnullis philosophis præceptũ. hoc tamen recte se posse assequi arbitrati sunt, si ius hoc administrãdæ reipublicæ definiretur censu atq; copia rei familiaris. Verum in maximas difficultates nec mediocria incõmoda incidere. nam frequenter euenit, ut infimę plebis homines comparent sibi ingentes facultates: quippe qui plerunq; sordidis artibus ac officijs minime liberalibus

libus dant operam augendæ rei causa, neq; unquam sibi parcũt, quin potius genium fraudãt, ut opes accumulent. Cõtra ingenui ciues ac liberaliter educati pauperes fiunt, seu aduersa fortuna (ut frequẽter accidit) seu quòd liberalibus studijs addicti uniuersam hanc augendę rei familiaris operã negligũt. qua ratione fit ut sordidi homines, qui nil aliud sapiunt quàm lucrum, bonarum uero artium expertes sunt, paulatim rempublicã capessant: ingenui uero ac liberaliter educati opibus sensim deficientibus à iure ciuium decidant. Inde maximas seditiones oriri ac rem publicã turbari necessum est. Ideo maiores nostri sapientissimi homines, ne sua respublica quandoq; in has calamitates incideret, hanc definitionem publici iuris, generis nobilitate lõge melius fieri censuerunt, quàm magnitudine census: ea tamen tẽperatione, ne tãtum supremæ nobilitatis uiri hoc ius haberẽt (illud enim paucorũ potentiæ fuisset, non reipublicæ) sed etiam quicunq; alij ciues non ignobiles. Itaque

omnes

omnes qui aut genere nobiles extitere, aut uirtute insignes, aut de republica bene meriti, principio hoc ius ciuitatis regẽdę adepti sunt. Quòd si post eũ primum conuentum aliqui extiterint, qui tum opibus, tum strennuis gestis rempublicam auxerint, nimirum illis omnibus ius administrandæ reipublicæ cõcessum fuit, quod & temporibus nostris uidimus. nam nonnulli etiam aduenę, externiq; homines in hunc numerũ ciuiũ ascíti sunt, uel ob eam causam, quòd nobilissimi, uel quòd officiosi erga rempublicã fuerint, eãq; insigni quopiã facinore honestarint. Vniuersus ergo hic ciuium conuentus, seu (ut dicitur) magnum hoc cõsilium penes quod summũ totius reipublicæ ius est, à quo etiam senatus magistratumq; omniũ autoritas, in republica uicem refert popularis status. Dux uero qui præfinitum imperandi tẽpus non habeat, sed dum uixerit, præsideat, regiam præ se fert potestatem, præsertim cum regiam speciem habeat, ac grauitatem dignitatemq; regis seruet. Reliqui

qui uero ciues regia ueneratione ducem prosequuntur, omniaq; decreta & leges, tum etiã publicæ literæ, sub ducis nomine prodeunt. At senatus, x uiri, seniorumq; seu præconsultorũ collegium, qui apud nos uulgo sapiẽtes solent dici, eorum inquam qui præconsulunt, ac de republica ad senatũ referũt, ostendunt quandam optimatium speciem. Quæ cũ sint præcipuę reipublicę huius partes, antequam ad inferiores magistratus deueniamus, de ijs primo sigillatim dicendũ est. Maius ergo consilium est, à quo uniuersa pendet respublica. Omnes ordinis patricij iuuenes, qui xx annũ exegere, ad magistratũ, qui uulgo Aduocatorius dicitur, accedunt: cui præcipue legũ tutela demandata est, coram quo constituti cũ patre, aut matre, si pater decesserit: aut proximiore generis cognato, si utroq; parente orbati fuerint, adhibitis duobus testibus honestis uiris probãt se natos ex eo parente, quem patrem profitentur, non spurios, sed matrimonio, legibus, & ex matre honesta muliere na-

tos. Testes uero in hęc uerba iurant, sibi id compertum esse ex omniũ quos nouere attestatiõe, atq; ex omniũ assensu. Deinde pater seu mater uel consanguineus genere proximus, si fuerit is iuuenis utroq; parẽte orbatus, iureiurando asserit adolescentem XX. annos excessisse. Quæ quum rite à scriba magistratus illius in codicẽ fuerint relata, diem quartã mensis Decẽbris operiuntur: eadẽq; die omniũ horum adolescentũ nomina, qui nondũ sortis beneficio ius ciuis adepti sunt, & uigesimum annũ excesserunt, in urnam cõmittunt, & ad principẽ adferũtur: ibiq; corã consiliarijs constituit. Penes quã est & altera, in qua tot sunt pilulæ seu globuli, quot nomina in priori fuerint suis quæq; notata syngraphis. Pilularũ quinta pars aurea est, reliquę omnes argenteæ. Extrahit princeps ex priori urna nomẽ, mox & ex altera pilulã: quæ si aurea fuerit, iuuenis is cuius nomen exierat, cõfestim publicę potestatis ius habet, et in maius consiliũ admittit: sin argẽtea, sorte decidit, ac insequẽtis anni

ni sortem operitur, nisi eo tēporis spacio XXV. annū exegerit. nam quicunq; patricius ad id ætatis peruenerit, conti nuo ius habet ciuis, publicæq; potesta tis est particeps. Hac igit̄ ratione quin ta pars candidatorū iuuenum quoquo anno recipitur ad ius suffragij ferendi cum alijs ciuibus. Quòd si accidat ut cuiuspiam patricij pater atq; auus, uel propterea quòd absentes fuerint, uel ob aliam causam nunquā hoc iure suf fragij ferendi sint usi, eorumq; nomi na nunquam fuerint relata in publi cos codices, in quibus patriciorū om nium nomina sunt descripta: ne qua fraus cōficī posset, néue quispiam de gener furtim obrepat in hunc nobili tatis cœtum, noluerunt arbitrio tantū Aduocatorij magistratus eam rem cō stituí ac decerni: sed lege cautum est, ut hi referentibus Aduocatoribus ad XXXX uiros agnitionem patritiā pro bent, atq; testibus & scripturis publi cis: sicq; causa cognita disceptantibus quadraginta uiris decernitur, an ad or dinem patriciū admittendus sit. Ne au

tem quíſpiã impune tentare huiuſmodi iudicium audeat, itidem quicunq; referre de nobilitate ſua uoluerit ad eos iudices, prius ad magiſtratum deferat quingentos aureos: qui in ærarium referũtur, ſi ille deciderit à cauſa. Ea fuit maiorum noſtrorum diligẽtia, ne qua labe nobilium hic cœtus inficeretur. qua de cauſa etiam illi ciues, qui uigeſimumquintum annum exceſſerũt, non prius adipiſcuntur ius ſuffragij ferendi, quàm coram Aduocatoribus cõſtituti iureiurando patris ſeu matris aut proximioris conſanguinei probauerint, ſe ad id ætatis aduenisſe: ac duobus item teſtibus, ſe ex eo patricio genitos quem parentem profitentur, nõ ſpurios nec matre pudenda. Poſtquam omnis ferè ratio à nobis expoſita eſt, qua ciuib. ad ius publicę poteſtatis aditus fiat, illud animaduertendum exiſtimo, maiores noſtros ſenſiſſe plurimũ ad amicitiam & unionem ciuium conciliandam & conſeruandam conferre, ſi ſæpius in unum conuenirent: quare ueteri conſuetudine inoleuit mos ille,

ut octa

ut octauo ferè quolibet die, interdum etiam frequentius, cõsilium magnum cogeretur. Huius præcipuum munus est, ut omnes magistratus creet, tũ eos, qui in urbe ius dicunt & alijs reipubli cæ muneribus funguntur, Senatum quoq; & X uiros, tum etiam prætores, præfectos, quæstoresq; oppidorũ atq; urbium quæ in societatem Veneti im perij sunt ascitæ, necnon custodes arci um, classis imperatorem, legatos, item classis triremium præsides, ac demum (ut uno complectar uerbo) quoscunq; qui domi uel foris ius habeãt publicæ potestatis. Leges item omnes quæ ad constitutionem reipublicæ pertinent, huius consilij authoritate sanciuntur. quod præcipue fieri consueuit tempo re interregni, cum scilicet mortuo du ce nondum alius ei suffectus sit, sed in ferius de interregno. Nunc omnis co mitiorum habendorum ratio à nobis exponetur. Circa meridiem, quibusq; ferè diebus festis cõsilium hoc agitur, sub amplo spacioso q; tecto, quod lice at appellare comitiũ, in eo X sunt sedi-

lia lõgissima, utpote quæ longitudinẽ comitij pene æquent. ciues omnes ut quisq; eò loci peruenerit, sessum eunt, ut cuiq; libuerit. nulli nanque statutus est locus, præterquam quibusdam magistratibus, qui comitijs præsunt. ij uero sunt dux, consiliarij, & xxxx uirorum præsides tres, qui in clariore suggestu sedent, atq; soli ius habent referendi ad magnum consilium. Post hos in medijs ferè subsellijs, quæ paulo elatiora sunt ad parietes comitij posita, certis statutisq; sedibus, Aduocatores sedent, tresq; xuirũm præsides, ac demum q̃ longissime à suggestu Ducis sunt subsellia Auditorũ ueterum, ac recentiũ, de quibus omnibus magistratibus à nobis infrà dicet. cæteri uero ciues omnes (ut dicebã) promiscue pro animi arbitrio sedẽt. statuta deinde hora fores comitij clauduntur, ferunturq; claues ad suggestum principis, & ad eius pedes locãtur. tunc scriba primus, qui honos est non patriciorum, maximæ tamen dignitatis, assurgit, atq; elatiore loco cõstitutus uoce magna pronun-

nunciat magistratus, pro quibus sunt eo die habenda comitia. pronunciatis magistratibus, cõtinuo ex eo loco confert se ad suggestũ in quo est princeps, altaq; uoce citat magistratus, præsides comitiorũ quos supra memorauimus, ut ad principẽ & cõsiliarios accedant. iussi confestim accedunt, ibiq; iureiurando interposito pollicentur operam se daturos, ut leges comitiorũ seruentur, non pronunciaturos ciuem eum, qui contra decreta aliquid egerit, sed pœna legibus cõstituta punituros. His peractis ad sua quisq; loca reuertitur, præter unum ex Aduocatoribus, ac unum ex præfectis x uirûm, qui ad extremam partẽ atrij se conferunt aduersam principis suggesto, ibiq; destinatis sedibus considunt. reliqui uero Aduocatores in dextro latere comitij, duo uero reliqui x uirûm præsides sinistro latere è regione Aduocatorum se item locant. Cõsimili ratione ueteres & recentes extremo loco comitij, quẽ dicimus lõgissime distare à suggestu principis, oppositis lateribus considunt,

dextro inquã ac ſiniſtro: ut huiuſmodi magiſtratuum uniuerſo ciuiũ conſilio omni ex parte oppoſiti cuſtodes eſſe uideantur, ne quis impune quippiam agere poſsit, contra leges & comitiorum decreta. Magiſtratibus hũc in modum diſpoſitis tres urnæ iuxta principis ſuggeſtum farciũtur, in quibus cõduntur globuli aurei argenteiq; hocq; modo diſpoſitæ, ut in medio ſuggeſtu una, ex utroq; latere itidẽ una, in quarum utraq; XXX. tantum ſunt globuli aurei, innumeri uero argentei. aſt in media urna L X. tantum globuli conduntur, quorum triginta ſex aurei, argentei uero uiginti quatuor: ſuntq; aurei omnes globuli, certis literarum notis inſcripti, quas ſingulis comitijs ſorte educunt, ne qua poſſet ſubeſſe fraus. Locatis urnis tres conſiliarij iuniores cęteris è ſuis ſedibus ſurgunt, ac ad extremam partẽ ſuggeſtus iuxta tres urnas ſeſſum eũt, ea ratione ut ſinguli ſingulis conſiliarijs aſsideant. ijs ita actis & diſpoſitis ſortes ducũtur, ac is ordo ciuium, cuius ſors exierit, conſurgit ex

utroq;

utroq; comitij latere. Per atrium nanq; q; longum est, decē sunt sedilium ordines dispositi, in quibus pro cuiusq; arbitrio cōsidere ciues suprà diximus, unaq; tantū sors duobus ordinibus inseruit, his scilicet qui ex utroque latere comitij sibi respōdent. is itaq; ordo cuius sors exierit, magna præconis uoce citat̄, & ex utroq; latere comitij, eo etiam ordine quo sorti libuerit, consurgitur: ciuesq; eo quo sederint ordine, ad eas se urnas conferūt, quibus iuxta suggestum principis cōstitutis consiliarij assident: ac manu imposita quisq; globulum unū educit: qui si argenteus sit, diuerso itinere ad sedile, unde surrexerat, reuertitur. at qui aureum eduxerit, confestim cōsiliario, qui urnæ illi præest, conspiciendum tradit: ille diligenter notā agnoscit. illa notæ inscriptio ea ratione est inuenta, ne quisquā afferre domo secum posset aureum, quem manu furtim impositum uideretur ex urna eduxisse, sicq; per fraudē electo fieret. Is ergo cui sors aurei obtigerit continuo ad mediam urnam se cōfert,

indeq; globulum extrahit. qui si argen teus fuerit, inops uoti ad suum ordinẽ reuertit: sin uero aureus fuerit, suggestum ascendit, ac è regione principis destinato loco sessum it. secundus qui eadem sorte usus fuerit, eodem etiam se recipit, ac item tertius: sicq; deinceps cęteri, quousq; nouem fuerint qui optimum electorum ordinem complent, ac ita eo in ordine disponuntur, ut solius ætatis ratio habeat, præterea nullius rei. Hoc loco institutum illud minime prætereũdum est, illos qui sortis beneficio electores sunt facti, statim alta uoce à scriba pronunciari solere, adeò ut omnes audiant: neq; amplius facultatem esse cuipiam eius consanguineo, aut affini arcta necessitudine coniuncto tentandi sortem, qua elector fieri queat: neq; etiã pluribus q; duobus gentilibus aditus patet ad ordines electorum. quod summa prudentia maiores nostri instituere, ut scilicet ad plures agnationes ac familias hoc munus eligẽdi perueniat, publicumq; hoc beneficium latius pateat inter ciues: satis enim

enim esse debet, si ex una familia sors duobus contingat, qua publicæ autho ritatis compotes efficiantur. Sed eò re uertar, unde nostra diuertit oratio. primus hic ordo electorius euestigio ut cõpletus fuerit, comitio egreditur, simulq; nouẽ illi se in certũ conclaue recipiũt. Hic scriba unus à secretis reipu blicæ adest: primum electoribus nunciat ea quæ legibus præscripta sunt, & quæ in magistratibus eligendis seruari debeant. leguntur item senatusconsulta, quibus cauetur, ne pecunia corrupti electores, seu quapiã mala arte & fraude eligant, uel, ut rectius dixerim, nuncupẽt eos, qui cõpetitores futuri sunt, ac consilij proponendi iudicio disponuntur. Deinde nouem illi electores, prout cuiusq; ætas fuerit, seniores scilicet digniori loco ac patrio sedent. nullum nanq; aliud discrimen præterquã ætatis inter ciues Veneti esse uolunt, quod nullius simultatis causa fuerit: neq; à summis philosophis, Aristotele inquã in Politicis, & Zenone in Cyri Persarum regis institutione opere lon

ge

ge celeberrimo est prætermissum. Electoribus eo ordine dispositis, nouem item globuli in urnam conijciũtur, numeris quisq; notati, ab uno ad nouenarium. In pagina uero paululum longiore inscripti sunt magistratus, quorum habentẽ comitia suo ordine. Maximus natu electorum, ex urna sortem educit. numerus sorti inscriptus inspiciẽ, ac quotus fuerit numero descriptus, pronũciandi quem uoluerit ciuem ius habet. Idem contingit secundo, idem tertio, & sic de cæteris, ut scilicet ducta sorte quisq; electorum priuati ac proprij magistratus beneficio & arbitrio sortis sit pronunciator effectus. Postmodum is, cui primi magistratus sors obtigerit, eum ciuem pronũciat quem uoluerit. Itur in suffragia à nouem electoribus. si sex suffragia uel plura tulerit electus ab eo electorum ordine, in eo magistratu renunciatur, ac eius nomen in pagina ea oblonga inscribitur, in qua magistratus omnes, quorum habentur comitia, sunt inscripti, q; si pauciora quàm sex suffragia tulerit, quod rarissi-

rariſsime euenit, iterũ alius ab eodem electore proponitur. Ad eãdem rationem res deinde peragitur, & ſic deinceps quouſq; aliquis proponatur, qui approbetur ſex electorũ iudicio. Idem eligẽdi modus in ſecũdo, tertio, omnibusq; alijs ſeruatur, quoad ille electorum ordo in ſingulos magiſtratus ſingulos ciues elegerit. Interim uero dum hæc in conclaui aguntur, reliqui ciues ordinem ſortiũ in comitio cœptũ non intermittũt. ſed ad urnas ſe conferunt, prout cuiq; ordini ſors contingit: dein de globulos educũt, donec nouem alij ſortem utranq; auream ex urna extraxerint. & hi complent ſecundum electorum ordinem, qui habita (ut dictum eſt) ætatis ratione, & ipſi in conclaue deſtinatum ſeorſum ſecedunt: quo in loco adeſt & alius ſcriba à ſecretis, qui ratiõe in nullo diſpari à priore, tum decreta ac ſenatuſconſultum quæ ſeruanda illis ſunt, recitat palàm, tum ſuo quemq; loco collocat: paginãq; defert eiſdem magiſtratibus, eademq; ſerie, qua prior illa, quã in conclaui primi

mi electorũ ordinis delatam fuisse su-
prà diximus. Itidem sortes ab electori-
bus educuntur: ut quisq; suam educit,
à singulis pronunciantur ciues singuli
in magistratibus quorũ comitia fiunt,
prout cuiusq; electoris sors tulerit. ac
eodem fermè modo post hos tertij no-
uem eadem ratione tertium ordinem
complentes, in priuatum quoq; cõcla-
ue secedunt, in quo eadem adamussim
obseruantur. Sic etiam quarti nouẽ in
suum, atq; hoc pacto explent numerũ
triginta sex ciuium. totidem nanq; fue-
rant globuli aurei in urna medio sug-
gestu constituta. Quamobrem ex sexa
ginta ciuibus quibus ex primis urnis
sexaginta pilulæ aureæ contigere, tri-
ginta sex electores fiunt, in quatuor
classes distributi: quatuor uero & ui-
ginti, qui ex media urna globulos ar-
gẽteos eduxerũt, spe frustrati redigun
tur in ordinem. Nõ me latet, perquam
arduum esse minuta hæc à ueterũ Ro-
manorum usu longe remota literis il-
lustrare, sed potius inepti culpam mihi
censeo subeundam, quàm parum dili-
gentis

gentis. ideo quæcũq; etiam minutiora accurate sanè à nobis memorabuntur, adeò ut nihil amplius etiam ab homine diligenti desiderari queat. Nunc reuertamur unde digressa est oratio. Cũ ergo in quolibet magistratu, cuius eo die habentẽ comitia, à classibus quatuor electorũ quatuor item ciues electi sunt, à singulis inquã singuli: nisi fortè contingat unum aliquẽ à duobus aut tribus ordinibus electorum renunciari, quod interdũ accidit, sed plerũq; cuiusq; magistratus quatuor fiunt cõpetitores: in nonnullis tamen paruæ dignitatis ac inferioris notæ magistratibus duo tantum fiunt competitores: duæ nanq; priores electorũ classes ius habẽt eligendi, ac pronunciandi competitores, in illis minoribus magistratibus, cũ posteriores classes eo iure sint priuatæ. postquam magistratuum omnium competitores electi fuerint, ea quam supra exposuimus ratione, confestim electores dimittuntur, neq; suffragari ea die cuipiam possunt, nec etiã comitijs interesse. ac scriba magnus

qui

qui (ut dixi) patricius honos non est, maximę æstimationis, ex suggestu magna uoce pronũciat competitores primi magistratus: ac sigillatim recitat, quis, & quo electorum ordine electus sit, necnon quo electorum authore, & in quo ordine unusquisq; competitorum electorũ fuerint. Quo mihi in loco illud nequaquam prætereundũ existimo, legibus sancitũ esse, ut elector ille, quo auctore quisq; competitorum pronunciatus ac electus sit, uelut fide iussor eius habeatur: ut si contingat pronunciatum ciuem superatis competitoribus uoti compotem magistratum eum adipisci quẽ petebat, ac in eo magistratu pecuniæ publicę quippiam auerterit, ac damnatus fuerit peculatus, nec soluendo sit, is elector, quo autore pronunciatus est, in ærarios referatur. Competitoribus igitur elata uoce à magno scriba pronũciatis, primi magistratus continuo pronunciati, si adfuerint, cũ gentilibus quisq; suis ac maxime necessarijs cognatis è comitio egrediũtur, & in cõclaue destinatum se confe

conferunt, ibiq; operiuntur donec illius magistratus habeant comitia. Post id item magnus scriba oēs admonet, diuinis atq; humanis legib. unūquemq; teneri, ut ei suffragetur, qui omnium optimus ac reipublicæ utilissimus fore uideatur: deinde primum competitorem nominat, à primo scilicet electorū ordine electum, pro quo in suffragia eundum sit. cōtinuo iuuenes tot exurgūt, ut unicuiq; sedilium ordini bini inseruiant. Hi urnas quasdam manibus gestant, miro artificio coagmentatas: exterior pars est uiridis, interior alba, unico fornice superius tecta: in quem cum manum ieceris, liceat tibi in utrū uolueris suffragiū dimittere: cum tamen nullus, etiam si adsit ac diligenter inspiciat, dignoscere queat in utram urnam suffragiū siue calculum ieceris. nec fabis suffragantur, sed pilulis quibusdam linteis, ne qua ratione ex sono, quē cadentes in urnā fabæ facturæ erant, dignosci possit, in utram urnam calculus sit iactus. nam maiores nostri maxime reipublicæ interesse existimauere, si li-

bera iudicia fierent: idcircoq; summam operam dedere, ut suffragia quàm occultissima essent. Iuuenes ergo illi cum suis quisq; urnis inuicem coagmentatis ad sedile concedunt, ac cuiq; ciuium eo quo sederunt ordine, urnas offerunt. quilibet uero ciuis palàm ostenso calculo manum in fornicem imponit, ac in utram uoluerit urnam eum dimittit: si suffragari uelit, in interiorem albam: si uero refragari, in exteriorem uiridem. simul in unoquoq; sediliũ hac ratione eo quo diximus modo in suffragia itur. Quo fit ut breui admodũ temporis spatio ab uniuerso conuentu ciium suffragatum sit. tunc urnæ deferuntur ad suggestum principis, ibiq; collecta suffragia effunduntur in duo uasa patula, ea uidelicet quæ fuerunt in urnis albis, in uas candidũ. at quæ in uiridibus urnis collecta sunt suffragia, itidem in uiride uas conijciuntur. Deinde ad consiliarios numeranda deferuntur, inter quos medius sedet princeps. candidi uasis suffragia competitori fauentia ab eis consiliarijs numerantur,

qui

qui dextro principis latere assident. At collecta in uase uiridi, quæ scilicet refragant̃, ab his qui ad læuam principis sederint, recognoscuntur. scribæ publici consiliarijs adstant, statimq; scriptis mandant numerata suffragia. Interea dum primi suffragia recensentur, eadem fermè ratione pro secundo in suffragia itur, qui à secunda electorũ classe fuerit electus. deferunt̃ itidem suffragia ad consiliarios. numerant illi, ac numerum scribæ mandant in scriptis. sic pro tertio ac demum pro quarto si tot fuerint competitores, ad suffragia itur. Numeratis suffragijs, is qui plurima tulerit, dummodo dimidia excedant, pronunciatur electus à magno scriba, quũ peractis omnium magistratuum comitijs consilium dimittendum est. Sin autem eius magistratus competitorũ nullus plura suffragia quàm dimidia omnium tulerit, præteriti hi omnes habentur, differturq; electio ad altera comitia. Post primi magistratus comitia peracta pronunciant̃ nomina electorum in secũdo; recedunt è concilio cõpetito

res cum gentilibus ac cognatis. At illi qui concluſi erant, primorum ſcilicet gentiles atq; cognati, in comitium rece dunt. Eadem ratione in nullo diſpari à priori, eodem ordine itur in ſuffragia pro ſecundi huiuſce magiſtratus competitoribus. ac item numerantur à conſiliarijs. is electus habetur qui ſuffragijs alios ſuperauit, dummodo plura dimidijs ſint. ſic pro tertio, item deinceps pro quarto, hoc demum in omnibus alijs magiſtratibus ſeruatur. Poſt completa comitia electorum nomina magna uoce pronunciant̃ à ſcriba magno, poſtea dimittitur conſilium: non tamen ultra ſolis occaſum protrahi comitia queunt. Quòd ſi ea ſolis occaſus interceperit, ſtatim renunciantur, qui ad eam horam fuerint electi: eorũ, qui reſtant, nulla ratio haberi poteſt. Itaq; beneficio, quod eis cum ſors, tum electorum claſſes attulerant, ſpe fruſtrati minime frui queunt. fuitq; hoc ſumma ratione decretum. nam facile admodũ eſſet, ſi res in noctem protraheretur, ne tam magna ciuiũ multitudo à magiſtra

tibus

tibus, qui comitijs præfecti sunt, in offi cio cõtineri possit, quin tenebris fauen tibus aliquid contra leges agant. iccir- co maiores nostri sapientissimi uiri, qui eximia prudentia & animi solertia om nia prospexisse uidentur, statuêre ultra solis occasum comitia protrahi nõ pos- se, neq; aliquo pacto lucernã ullam in atriũ illud inferri, dum comitia haben- tur. Hæc est omnis comitiorũ ratio, in qua minime est prætereundum, ita in- ter ciues distribui magistratus, ut tamẽ duo eiusdem gentis, aut etiam consan- guinei maxime necessarij in eodẽ ma- gistratu esse non possint. Quemadmo dum neq; ijsdem comitijs duo gentiles, aut agnati maxime necessarij, sortis be neficio electores esse nequeunt, ut su- prà ostendimus. quod summa quidem ratione statutum est, ut scilicet ius pu- blicę potestatis ad plures pertineat, nõ autem ad paucos contrahatur necessa- rios. nam hi potestatẽ adepti facile pos- sent aliquid moliri, ac rempublicã tur- bare. præterea quum plurimi expertes fuerint honorum, necesse etiam est, ut

hi plurimi eam rempublicam oderint, ac rebus nouis ſtudeāt. Eam uero rempublicā diutius conſiſtere ferè impoſſibile eſt, quam multi ciuium nolunt. adde quòd proprium reipublicæ eſt, publicam poteſtatem ad plures pertinere: idq; æquiſſimum ſit, ut conſimiles inter ſe ciues, ex quibus reſpublica conſtare ſolet, non diſpares ſint in honoribus conſequendis. paucorum uero ſtatum, quem Græci ὀλιγαρχίαν dicunt, facile conſtituunt, qui ius publicū contrahunt ad paucos neceſſarios. Quamobrem in republica Veneta ita magiſtratus inter ciues diſtribuunt, ut quoad fieri poſsit omnes familiæ agnationesq; honorū ſint participes: ea tamen ratione, ut non quiuis, ſed hi tantū uiri qui & probitate & prudentia excellūt, rempublicam adminiſtrent, ac muneribus publicis fungantur. Prior illa inſtitutio populare quiddā ſapit: altera uero optimatium gubernationē. quare luce clarius intueri licet, oēs rectas gubernationes ciuitatū in hac una republica eſſe cōmiſtas. nam quamuis hoc

magnum

magnum cõsilium speciem quandam referat popularis status, nihilominus in eo perspicitur cõmixtam esse rationem optimatiũ gubernationis cum popularí. nam sorte eligi magistratus popularé est, in eo etenim statu ciuitatis iustum atq; æquum æqualitate Arithmetica metiuntur: ac reputant, quum unusquisq; populi unus sit ciuis, & liber, ac paribus paria debeantur, unum quenq; ex populo pari iure ac commodo frui debere in republica, ut magistratus cõsequi possit. & quum omnes simul nequeãt imperare, sed per uices, existimant æquam hanc esse diffinitionem, inter ciues sorte fieri debere, ut hi imperent, quibus sors fauerit. Contrà in paucorum potentia, quæ aberrat à republica optimatiũ, arbitrantium æquum, cũ imparibus imparia debeantur, diuitesq; superẽt alios ciues copia rei familiaris, eis quoq; supremos honores deberi. In qua existimatione utrique longe à uera ratione recedunt, licet uerisimili nitantur. nam quod inquiunt, paribus paria, aut imparibus

imparia deberi recte ſtatuunt. In eo ue
ro quod paritatẽ priores numero tan
tum, ac poſteriores imparitatem ſolum
diuitijs metiantur, hi nimirum utriq; e
gregie fallunt. Etenim qui numero pa
res ſunt, aliqua in parte pares ſunt, nõ
omnino pares. Et qui diuitijs impares,
non omnino impares cẽſendi ſunt, ſed
aliqua tantũ ratione impares. Verum
cum ciuilis ſocietas ad bene uiuendũ
ſit inſtituta, uirtus ſola diſcrimen hoc
efficit. his ergo qui uirtute præſtant,
tanquam imparibus ac potioribus ſu
premi etiam honores in republica de
bentur: æqualibus uero uirtute ac ciui
li induſtria, æquales etiã honores. hic
modus, hæc norma optimatium eſt. Si
cuti ergo populare eſt, uti ſorte in ele
ctoribus conſtituendis: ita eſt optimati
um, ut is qui uirtute præſtare iudicio
cõſilij exiſtimatus fuerit, potior habea
tur, ac reliqui repulſam ferant, qui indi
gniores habiti ſint. Qua ex re facile
perſpici reor, in hac comitiorũ haben
dorum ratione cõmixtam eſſe cum po
pulari ſpecie optimatium formã: eo ta
men

men temperamento, ut id quod est optimatium superet rationē popularem: nam sors in electoribus tantum constituēdis dominatur: cuius potestatis nequam etiam homines reipublicæ absq; detrimento cōpotes esse queunt, parq; ius habere cum optimis ciuibus, at in adipiscendis honoribus nil sortis est, totum in electione & existimatione positum est. Quo in loco non omittendum censeo illud institutū, in comitijs magistratuum, qui exigunt uiros præcipua quadam bonitate ac solertia præditos, quatuor ordinibus electorum, de quibus supra memini, senatum uelut quintum ordinem explere. nam dum ordines illi in conclauibus ad hoc munus destinatis eos pronunciāt, quos uoluerint cōpetitores, si fiant comitia cuiuspiam horum, quos dixi, magistratuū, cogitur senatus in minus atrium: ibiq; unicuique senatori licet eum quem uoluerit in certis illis magistratibus nominare, pro quibus in suffragia itur. at is qui plura attulerit, pronunciatur electus senatus scrutinio, fitq; quintus cō-

petitor. quamobrem euidentissimum est, præstantiorem esse in nostra republica legem reipublicæ optimatium, ea quæ est popularis status. Cæterum huiuscemodi comitiorum modus ac ratio satis hactenus diligenter à nobis exposita est. Accedamus ad eam reipublicę partem, quæ ueluti in fidibus ad constituendam διαπασῶν consonantiã uox grauis acutæ proportione quadam respondet, sic etiam specie quadam regia parti populari respõdeat, ac demum in unum concentum optimæ reipublicæ iniectis medijs magistratibus coalescat.

Libri primi finis.

CASPARIS CON

TARENI PATRICII VENE-ti, De magistratibus, & republica Venetorum, liber secundus.

NVLLVS est, qui ignoret principē in urbe Veneta personam regis ac speciem regiæ gubernationis præ se ferre. ideo non absq; ratione postquam is â nobis conuentus ciuium est descriptus, qui populi formam habeat, & si non satis pro rei ipsius dignitate, pro tenuitate tamē nostra non indiligenter: nunc à nobis aggrediendum est, qua ratione ducti maiores optimi atq; sapiētissimi homines principem unum reipublicæ præesse uoluerunt: necnon etiam dicendum, quibus temporibus ac qualis fuerit huius principis præficiendi origo. Neminē puto latere, id quod â nobis sæpius

hoc

hoc opuſculo eſt repetendũ, ciuitatem ciuilem quandam ſocietatem eſſe, quæ per ſe ſufficiat ad bene beateq; uiuendum. Omnem uero ſocietatem unitate quadam contineri, quis ambigat? contrà autẽ diſtractione diſſolui. Quo effectum eſt, ut diſcordia ciuiliq; diſsidio, maximæ & opulẽtiſsimæ ciuitates breui corruerint, funditusq; euerſæ ſint. unitas uero commode contineri non poteſt, niſi ab uno, qui multitudini ciuium ac uniuerſis magiſtratibus, quibus priuatæ quædam functiones ſint demandatæ, præſit, atq; multitudinem quodammodo diffluentem colligat, ac in unũ concíliet. quod philoſophi ſummi ac præcipui naturæ indagatores, cũ in uniuerſi conſtitutione, tum etiam in microcoſmo, id eſt animali, animaduertere. Nam proſpexerunt in hac rerum uniuerſitate multos ac difformes, prout ſcilicet uniuſcuiuſque natura fert, motus ab uno, cœleſti inquam, contineri, ac diuturno: omnes etiam cauſas ab una prima omnium cauſa: demum in uno animali plurima ac lõge diuerſa mẽbra

bra, quorum functiones uariæ difformesq; sint: una tamen anima & unico membro, corde scilicet, comprehendi, atq; in unitatem quandam colligi. pari propemodum ratione ni multitudo ciuium ita fuerit legibus instituta, ut unũ quempiam præsidem uelit, cui bonum commune omnium ac unionis ciuilis cõseruandæ cura præcipue incumbat, quò uniuscuiusq; ciuis tum priuati tum magistratu fungentis actiones tanquã ad ultimum finem & præcipuum finem referri debent: nimirum diutius nõ potest cõseruari, sed in diuersas partes distracta decidet. quod ut nullius ciuis culpa aut iniuria contingat, ex singulorum quidem sedulitate circa proprium priuatũq; munus accidere necessarium erit, quum cõmuneb onum nulli præcipue sit demandatũ. Cape rei frumentariæ præfectos, hi potissimum in hanc curam incumbent, ut eorum opera magna frumenti copia ex omnibus partibus inuehatur in urbem, sitq; tritici annona uilis. At hoc fortasse publicis uectigalib. officiet. Nauales quo-

que

que rei præsides, quod pulcherrimum habemus, non dissimili ratione maxime studebunt, ut quamplurimas trire mes ędificent, omnibusq; bellicis & nauticis instrumētis exornēt egregie, atq; pecunias publicas undiq; coactas in eum usum expendant: ex qua forsitan sedulitate reliqui reditus publici, & reficiendis arcium & oppidorum mœnibus & custodibus regionum satis esse non poterūt. quamobrem solutis compagibus respublica distracta dilabitur, non culpa, sed studio ciuiū, dum quisq; perquam egregie munus suum obire studet. quòd si hisce incommodis effici uidetur, ut operæprecium sit boni cōmunis curam alicui præcipue demandare, cuius officium nullum priuatum sit, sed solum moderetur & dirigat cuiusq; functionem ad cōmune bonum, & ad reipublicæ unionem: pluribus æquè hoc negotium cōmitti non reor è re ciuitatis esse. Etenim id quod pariter plures curant, omnes pariter negligūt (quod inquit Aristoteles) dū nulli prędalijs fraudi dari potest, si quid per

peram

peram agatur: ut interim omittã æmulationem ac ſimultates, quæ inter pares plerunq; eſſe ſolent. ſin uero unus huic rei præficiatur, qui temporaneum hunc magiſtratũ gerat, utputa annuũ aut ſemeſtrem, non autem quoad uixerit: hic nimirum bene ſecum agi putabit, ſi tantiſper reſpublica feliciter agat, donec defunctus fuerit magiſtratu, ſecurus quid poſtmodum ſit euenturum, ac quo res caſura ſit. Quare cõtingit, ut male plerunque res cedat. Id quod certiſsimo experimento compertum eſſe poteſt, à pleriſq; rebuſpublicis ſumpto, quæ hoc gubernationis genere noſtris temporibus uſæ ſunt. Ideo à noſtra ciuitate ſapientiſsime inſtitutum fuit, ut in hac republica conſtitueretur quædam ſpecies regiæ gubernationis, adeo legibus temperata, ut quouis incõmodo ac periculo, quæ reipublicæ imminere poſſent, amotis, utilitate uero & cõmodo, quod regia gubernatio habere ſolet accito, nihil relictũ eſſe uideretur, quod ſit deſiderandum, ac ſimul rempublicam liberrimam, &

regem

regem præsidem haberemus. Vnus ergo princeps eligitur, qui etiam habeat ducis nomen. is quoad uixerit, reipublicæ præest, præcipue curam boni cõmunis habet, quo maxime ciuitates cõtineri superius à nobis efficaci ratione probatũ esse reor. Huius nulla est priuata functio, nulla etiã est in uniuersa republica, cuius expers esse debeat. hic cum unumquenq; priuatũ, tum etiam quoscunq; magistratus ita debet in officio continere, atq; ea ratione moderari, ut ueluti quadam harmonia omnia consonent cõmuni bono, atq; ad unionem ciuilem referantur: ne qua scilicet functio siue nimia sedulitate magis quàm opus sit intenta, aut negligentia remissa utilitati communi officiat. hoc igitur est principis munus, ut tanquam in quadam reipublicæ specula positus conspicetur, quid unusquisq; rerum agat, eorum præsertim qui fuerint præditi publica authoritate: ac si quem perspiciat qui officio suo desit, accersitum coram uniuerso collegio uerbis primũ castiget, ac si res ita tulerit, adhibitis

Aduo-

Aduocatoribus, seu Xuirûm præfectis, mandet culpã eius dignosci, ac de consilij sentẽtia puniri. Ipse quoq; dux si uelit, cũ Aduocatoris tum præfecti Xuirûm authoritate uti potest, atq; de cuiusq; crimine & de mulcta infligenda ad consilium referre. Id quòd more fieri soleat, infrà docebimus, quum de iudicijs criminum agemus. Eam enim princeps obtinet potestatẽ, ut in quouis ciuium collegio sese adiungere collegam magistratui præsidi, parq; cum alijs præfectis ius habeat: ut hac potissimũ ratione omnibus eõsulere queat. uerũ potestas hæc adeò est legibus cõtracta, ut nihil solus possit, alijs magistratibus adiunctis nõ amplius authoritatis obtineat, quàm quiuis unus eorum, qui eo magistratu funguntur. Quin etiam magistratuum ius adeò modicũ est, ut nullus tametsi summus quidquã statuere possit, quod alicuius momenti haberi debeat, nisi de consilij sententia. sed de his suo loco luculenter dicetur. In quouis præterea consilio princeps tanquam illorum unus unius tan-

tum ſuffragij ius habet. in magno item conſilio in conuentu omnium ciuium dum comitia magiſtratuum fiunt, neq; gentili, neq; conſanguineo competito ri ſuffragari poteſt, uerum eodē pariq; iure cum omnibus utitur. Ex his igitur puto quemcunq; facile intellecturum, Venetorum principi omnē ademptam eſſe facultatem principatu abutēdi, & pro tyranno ſe gerendi. Quæ res diuturna, quin potius uetuſtiſsima cōſuetudine, uel à primis originibus urbis ad hęc uſq; tēpora perducta adeò inolevit, ac confirmata eſt, ut nihil minus ubi Venetæ timendum ſit, quàm principem reipublicæ libertati ullum unquā negocium faceſſere poſſe. Verū enim uero cum maximos labores ac ingentem ſollicitudinem animi abſq; merce de ulla uniuerſi reiecturi eſſent, poteſtatis diſpendiū principi repenſum eſt adhibitis honore, dignitate, ac ſpecie regia. Nā ornatus corporis regius eſt, purpurea enim ueſte aut aurea ſemper utitur. Capite geſtat uelamen linteum pro regio Diademate, ſupra quod &

geſtat

gestat capitium purpureum limbo aureo ornatum, cuius pars quæ occiput tegit, in cornu formam assurgit. sedem in suggestu habet ueluti regiam. omnes ciues cũ priuati tum magistratum gerentes detecto capite ac stantes sedentem principem alloquuntur: honoris id hac tempestate præcipuũ signũ. Nulli princeps assurgit. Cunctę epistolæ reipublicæ sub nomine ipsius prodeũt obsignãturq. Orator quiuis, prætor, prefectus, aut quilibet alius qui ad senatũ scribere uoluerit literas, ad principem destinat: decretorum, legum, ac senatusconsultorũ promulgationes nomine principis fiunt. Nũmi omnes tã aurei quàm argẽtei cum nomine ac figura principis excuduntur. Tandẽ ut paucis absoluam, ubiq; regis speciẽ intueri possis, potestatẽ uero nusquam. sapientissime & hoc quidem in republica Veneta, ut cætera omnia, constitutum fuisse, nullus sanę mentis inficiari ausit. Nam hac honoris mercede laborioſum alioquin principis munus rependêre, quod solum uirtutis præmiũ

esse uulgus prędicat, & summi philoso phi prodidere. Ex quibus Aristoteles in Ethicis inquit: Quum hi qui recte & sancte magistratum gerant, non suę sed aliorum utilitati consulant, nulla a lia ratione æquum eis pręmium tribui posse, præterquã ut honore alios ante cellant. Præterea magnopere facit huiusce principis dignitas, ut quicunq; ci uis & castigationem eius maxime ue reatur, & iniũcta munera maiori sedulitate perficiat. Adiuncti sunt principi sex consiliarij, ex senis tribub. in quas diuisa est uniuersa ciuitas, delecti ex singulis scilicet singuli. hi octimestrem magistratum gerunt, perpetuoq; principi assident, omnia cum principe audiunt, nullæ literæ publicę exeunt, nisi ex sententia quatuor consiliariorũ, qui etiam nomina sua literis ascribunt: nõ his tamen quæ prodeunt, sed illis quas scribæ reipublicæ primum scripserũt, atq; post exempla edita seruant. In qua qdẽ re illud haudquaq; est prætereundum, hasce literas, quæ non ex decreto consilij, sed iussu principis & consiliario-

liariorum datę sunt ad quempiã, ut res parui momenti & modicæ esse autoritatis. Illud nanq; sæpius est nobis repetẽdum, omne ius omnemq; potestatem cõsilijs esse duntaxat attributam: nullum uero magistratum per se amplam potestatem obtinere. sed de consiliarijs infrà dicetur. Nunc ad principem, seu ducem malueris appellare, oratio redeat. Hac igiẽ specie regia principi adfixa, cum plerunq; priuatę opes satis futuræ non essent ad tuendam eam dignitatem atq; ad eum locum honestandum, ex publico ærario constituta sunt in singulos annos duci tria milia & quingenti aureorũ nummũm. ac ne fortasse quisquam paulo auarior in rem familiarem neglecta dignitate atq; utilitate publica, eã pecuniæ summã cõuerteret, iniuncta sunt illi munera quædam, quæ suis impensis obeat, quibus & dignitati ipsius, & reipublicę usui cõsuleret. quę si ut pecunijs parcat, negligat, hæredibus adeò ingens pecuniæ mulcta est imposita, ut dum rei familiari augendæ princeps stude-

re uoluerit, & hæredibus prodesse, magnam eius iacturam facturus sit, si ob auaritiam dignitati suæ defuerit: præterquam quod hereditariam quandam ignominiã & dedecus posteris relicturus est. Complures stipatores alit, inermes tamen, sericis uestibus semper utitur. domum habitat aulæis mirifice instructam, supellectilis argenteæ copiam habet: cæteraq; id genus, quæ principi uiro conueniunt. Singulis annis quater prandium parat, sexaginta & amplius ciuibus, laute atq; opipare instructum. qua in re peruetustum Lacedæmoniorũ morem atq; Cretẽsium (quorũ respublicę illustres fuere) moderatum tamen maiores nostri in hanc nostrã rempublicã trãstulere. Nam cũ summopere faceret ad beneuolentiam ciuium conciliandam conuentus ciuium frequens, conuiuia quædam publica impensis ærarij fieri statuerunt tum Lacedæmonij tum Cretenses, ad quæ cum ciues conuenirent, & unusquisq; facile quemcũq; dignoscere posset, & necessitudine quadã arctiori

ex con-

ex consuetudine illa cõmuni inuicem uinciebantur. uerum cum omnes promiscue conuenirent, necesse erat plerunq; in conuiuijs illis tumultus & turbationes suscitari: quũq; ij quorum ea cura erat, pro se quisq; ciues laute excipere uellet, pecuniæ publicæ magnam iacturam faciebant. Quapropter castigatione & modo adhibito uetus illud institutum & ad Venetos deductũ est, omneq; id negocium principi demandatum. Quater ergo singulis annis ciues à principe adhibent̃, lautis sanè sed non inuidiosis epulis. nec unusquisq; promiscue accedit, sed hi tantum quos princeps asciuerit, præter cõsiliarios et Aduocatores præfectos quadraginta uirũm ac xuirũm præsides, qui iure quodam eorum magistratuum semper conuiuijs principum intersunt. cæteri ciues omnes inuitati accedunt. Hac autem ratione quatuor hæc conuiuia distributa sunt, ut seniores dignioresq; ciues inuitati, circa brumam die diuo Stephano protomartyri dicato summo mane cõueniant in ædes publicas,

habitationi principũ destinatas, ac so-
lenni pompa domo principem dedu-
cant in ædem diui Marci: simulq; ibi sa
cris intersunt, quibus peractis ad ędes
suas principem reducũt, ibiq; simul e-
pulantur. Apríli etiam mense die Mar
ci Euãgelistæ, cuius numẽ Veneti pre-
cipuum habent, & quem patronum si-
bi asciuerũt, posteaquam eius reliquiæ
ex Alexandria Aegypti ciuitate illu-
stri Venetias delatę sunt, ciues ętate &
dignitate minores inuitati à principe
eodẽ more ac pompa celebratis sacris
ad principis prandium se cõferunt. A-
censionis quoq; festo, quo die nundi-
næ Venetijs fiunt, adhibentur à princi
pe hi, qui uirilem ætatem attigerunt.
Hi item summo mane deducũt domo
ducem, simul conscendunt nauẽ quàm
ornatissime ad hos usus constructam,
(quam Veneti Bucentaurum uocant)
æstuariaq; egressi cum primũ liberum
apertumq; mare intueri licet, antiquo
rum pontificũ beneficio, qui hãc rem-
publicã pro rebus quamplurimis for-
titer & egregie contra cõmunes nomi
nis

nis Christiani hostes gestis honestare uoluerunt, princeps iacto annulo aureo in mare inquit, totidem ferè uerbis, se in signum ueri perpetuiq; imperij eo annulo mare desponsare. his adduntur ab urbis præsule cærimoniæ quædam, quibus peractis descendunt in ædem diuo Nicolao dicatam, uetustam sanè, & quę in littore condita est, quod mare ab æstuarijs disterminat. ibi sacra mysteria celebrantur, quibus rite peractis conscensa rursus naui Venetias reuersi principem domum reducunt, simulq; conuiuantur. Quarto epulæ pertinent ad iuuenes ciues, qui duodecimo Calendas Iulias die dicata Vito & Modesto martyribus, solenni pompa cum principe ad eorũ templum accedunt, quod quidẽ templum ultra riuum magnum, qui urbem mediã diuidit, est situm. qui quidem riuus iungitur ponte supra triremes ædificato, pro temporis ratione, ne immenso ferè circuitu iter illud conficiendũ foret. Templum igitur inuisunt, sacris interfunt, ac demum à principe domum re-

ducto lauto sanè excipiuntur cõuiuio. Atq; conuiuio frequenter adhibentur & saltatores & mimi, necnon cantores egregij, qui conuiuas oblectant: intermiscentur interdum ludi nonnulli, qui mirifice capiant spectatores. sic igitur uetus illud institutum in Venetam rempublicam concesit, moderatum tamen. nam hac ratione cuiuscunq; ferè ordinis ciues, pares tamen cum paribus ad epulas accersuntur. sicq; cum dignitati principis, tum etiã maxime cõciliandis inuicem ciuibus egregie consultũ esse uidetur. Cæterum quoniã ciues patricij singulo quoq; anno hisce epulis honestari non queunt, ne ullus prẽteritus uideatur, ueteri instituto ac lege cõstitutum est, ut hyeme unicuiq; ciui, qui in maiori consilio suffragandi ius habeat, à principe mittãtur quinq; marinæ anates, ueluti conuiuij quædã publici portio, quod etiam ad concilia-
ndos ciues duci non parũ facere censeri potest. hisce impẽsis insumitur magna pecuniæ pars, quæ ex ærario principi quotannis numeratur. Quo fit, ut
etiam

etiam si uelit dux auarus, nequeat tamen ullis auaritiæ sordibus fœdare dignitatem atq; amplitudinẽ loci quem tenet. Hoc loco quoniã ferè omnis potestas atq; authoritas principis est à nobis explicata, referre operæpreciũ est, quo initio quibusue temporibus ducis huiusce creandi Venetijs cõsilium initum fuerit: ac demum, quænam sit ratio comitiorum in duce eligẽdo. A prima statim urbis origine cũ quicq; nobilissimi Venetæ prouinciæ ciues Aquileia, Altino, Cõcordia, Opitergio, Patauio ac pleriscq; alijs ciuitatib. amplissimis atq; opulẽtissimis Hunnorũ impetu euersis, q rege Attila duce maximã Italiæ cladẽ attulere, in ea æstuaria maris Adriatici conuenissent, in quibus postea Veneta urbs cõdita est, ac in uicinioribus locis patrię, quã liquerant, unusquisq; sedes suas posuissent, ædificata fuere circiter duo & uiginti oppida, partim in littore eo quod interiora æstuaria claudit, partim in tumulis quibusdam, qui ex æstuarijs eminebant. ac primis initijs cũ ea oppida neq; per

se sa-

se satis munita essent, neq; nauigiorũ copia alicui oppido tanta suppeteret, ut piratis ac prædonibus pro se quisq; obsistere posset, optimum fore censue re, si de omnibus in communi consule rent, cum omnium eadem etiam fortu/ na esset: ac communi consilio prospice rent, cum annonæ, tritici, uini, frugũq; omnium, quæ uictui necessariæ sunt, tum maxime propriorũ larium securi/ tati: ne quam iniuriam seu detrimentũ acciperent à piratis, quibus oppidis nondum satis munitis expositi erant. Quamobrem cum prius unumquodq; oppidum præfectum ac præsidem sibi ex suis ciuibus delegisset, quẽ tribunũ uocabant, cõstitutũ est inter omnes, ut certis diebus tribuni hi conuenirẽt, ac de re cõmuni decernerent. Paulo post experientia compertum est, cum nulli ex alijs præcipuè cura hæc incumbe/ ret, ac propterea multa incõmoda pa/ terentur, cõmodissimam & utilissimã rem omnibus fore, si uni cuipiam præ cæteris cõmunis boni procuratio de/ mandaretur, quem omnes alij uti prin

cipem

cipem agnoscerent. Itaq; decretum est omniũ oppidorũ consensu, ut dux seu princeps unus eligeretur: huic principio cõstituta est sedes in oppido Heraclea nũcupato. situm id erat in intimis æstuariis, in insula quadam iuxta Planis fluminis ostium, quę nostris temporibus alluuione fluuij continenti coniuncta est. Postmodum uero cũ locus is non satis idoneus uideretur: nam cũ in recessu eo esset, sępenumero priusq; mali fama eò peruenisset, piratæ iam intra æstuaria penetrarant, ac uel imprudentes oppidanos oppressĕrãt, uel nauigia diripuerant: idcirco statuerũt satius fore, principem relicta Heraclea Melamocum concedere, oppidum in medio littore situm, ex quo dux facile præsentire poterat, si quid insidiarum à piratis strueretur, ac paruo negocio adesse ubicunq; opus fuisset. Demum quo tempore Pipinus cladem & seruitutem elementis illis Venetæ urbis minaretur, omnesq; Riuoaltũ, ex quibuscunq; oppidis concessissent, principis etiã sedes eò loci translata est: quò cunctis

ctis oppidanis conuenientibus in eam amplitudinem quam cernimus Venetiæ excreuere. sic igitur perpetuo quodam tenore à primis statim urbis originibus unus princeps reipublicæ Venetæ præfuit. primi illi aliquàm maioris authoritatis fuere, postea uero usu docente paulatim institutis ac legibus potestas principis ad hanc quam cernimus temperationẽ deducta fuit. Ratio uero eligẽdi ducis, qui priori uita functo successurus sit, primum quidem simplex fuit. nam cũ maiores nostri singulari quadam bonitate prædi-ti fuerint, atq; ab ambitione penitus alieni, unusquisq; pro se eam sollicitudinem recusabat. quapropter acclamatione populi, is qui omniũ optimus ac prudẽtissimus haberetur, princeps renunciabatur. Post prima ea tempora aucta ciuitate & populo ampliore effecto, inutile fore reipublicę uisum est, si temeritati atq; auræ populari res tam magna cõmissa esset. decretũ itaq; est, ut eligerẽtur XI uiri omnium probatissimi, qui creandi ducis potestatem

habe-

haberent. demum quum aliquantum simul cum imperio etiam ambitio excreuisset, instituta sunt singularia quædam comitia, ac perplexa quædam ducis eligendi ratio inuenta. hanc nos ne quid incœpto operi desit, paucis exponemus. Defuncto principe ac iustis actis pie honorificeq; consiliarij qui in terregni illius tempore se in sedes publicas habitationi principis destinatas continuo post principis obitum receperunt, magnum consilium uocant. in eo primo post interitum ducis conuentu ea ratione comitiorum quam suprà narrauimus, quinq; ciues creãtur, qui defuncti principis res gestas diligenter scrutari debeant, ac de consilij sententia, si quid ab eo contra leges ac decreta sit factum, rescindant. si à quopiã etiam munus acceperit, ac statutæ pepercerit impensę. ea hisce referentibus irrogatur hæredibus à consilio mulcta quam leges iusserint. Pecuniaria ea est, eaq; summa æris de hæreditate principis publicatur, atq; in ærariũ refertur. Eisdem comitijs eliguntur quinq; alij ciues

Gran-Consiglio

Correctores
Inquisitores

Correctores ciues, qui eodem momento quo renunciati sunt, recipiunt se in conclaue comitio adiunctum: neq; inde discedunt antequam inter eos re cõsultata, quid ipsis potestati principis immutãdum, tollendum, aut addẽdum uideatur. Re inter eos discussa iterum cogitur consilium, quo coacto egrediuntur illi è cõclaui (nam prius non licet) ac suam quisq; sententiam ad cõsilium refert de principis iure: ac uniuersis ciuibus disceptantibus suffragijs decernitur, id quod maxime reipublicæ usui fore uisum fuerit. Id decretũ inter leges, quas principes seruare debeant, statim constituta principis potestate reponitur. Postridie initur perplexa illa comitiorum ratio, quibus princeps creari solet. conueniunt itaq; ciues omnes, qui XXX. annos excesserint. nam iuniores eaq; ætate minores ueteri reipublicæ instituto ad ea comitia non admittuntur. numerantur deinde uniuersi ciues, ac totidem globuli in urnam conijciũtur, quot ciues fuerint. ex his triginta sunt aurei, cęteri omnes argentei. ea

urna

urna ſtatuitur ante ſuggeſtum comitij ubi conſiliarij reſident. aſtat urnæ puerulus educendis ſortibus: ſubſellia ciui um uocantur. ad eam urnam accedunt omnes, eo quo ſederunt ordine. nullus autem, quod tamen in alijs comitijs fieri conſueuit, in urnam manum impo/nit, ſed puer qui aſtat pro ſingulo quoque globulum unum educit. Ii quibus argenteus obtigerit, ſtatim egrediuntur comitium. at is cui ſors fauerit, educto aureo globulo, à ſcriba alta uoce pronunciatur. Continuo ille in certum conclaue ſecedit: eius uero gentiles & conſanguinei omnes arcta neceſsitudine coniuncti ex ſuo quiſq; loco aſſurgit: conſidentq; in partem atrij uniuerſi. numerantur ibidem, ac totidem globuli argentei ex urna extrahuntur: exceduntq; hi ex comitio, hoc pacto triginta, quibus ſortis beneficio aureus globulus obtigerit, deliguntur ex uniuerſo ciuium cœtu. quo peracto conſilium dimittitur. Poſtquam omnes diſceſſere, triginta illi è conclaui egrediuntur, ac coram conſiliarijs denuo ſor

Ballotino

tem ſubeunt, ac ex triginta iſce nouem quibus ſors fauerit electores fiunt, cæteriſq; dimiſsis in conclaue ſecedunt, huic muneri deſtinatum: ibiq; ſoli concluduntur nullo prorſus, nec miniſtro admiſſo: nulli copia fit eos alloquendi, neq; inde diſcedere poſſunt, priuſquã XXXX. uiros elegerint: nullusq; referri poteſt ab eis electus, niſi ſex ſuffragia tulerit. quo fit, ut quatuor refragantibus nullus electus pronũciari queat. quum primum quadraginta hoſce uiros elegerint, per internuncium cuſtodem ac ianitorem publicum certiores conſiliarios faciunt, ſe munus ſuum obijſſe. eueſtigio conſiliarij niſi hora diei fuerit ualde intempeſtiua, conſiliũ magnum uocant. Poſtquam ciues omnes in curiam cõuenere, profertur ſyngrapha ex conclaui, in qua nomina deſcripta ſunt ciuium electorũ. Ac ſcriba primus aſcenſo ſuggeſtu magna uoce pronunciat XXXX deſignatos ciues. horum quiſq; ſi interfuerit, cum primum audierit ſe pronunciari, à loco ubi conſederat ſurgit, & ad ſuggeſtum cõſiliariorum

riorum consídit, indeq; in cõclaue de-
stinatum. sin autem eorum quispiã ab-
sens fuerit, confestim à consiliario uno
ac item ab uno XXXX uirũm præfe- Capo di quaran-
cto uel per totam urbem conquiritur. ta
Inuentus ab ijsdẽ magistratibus primũ
in comitium, ac deinde in conclaue ad
collegas deducitur, nulla interius præ-
stita facultate aliquem cõueniendi aut
alloquendi, ne ulla ambitioni occasio,
aut aditus in his comitijs concedatur,
quæ sanctissima omnium maiores no-
stri esse uoluerũt. hac ratione XXXX
ciues designati improuisi conueniunt,
cum primumq; id faciunt, euestigio di-
mittitur consiliũ. tunc quadraginta hi
egrediuntur conclaue, ac in atriũ comi
tij ampliſsimum consiliarios adeunt:
ibiq; eodem sortiũ modo quem suprà
retulimus, XII ex ipsis decernũtur, ui-
ginti & octo qui supersunt ex quadra-
ginta uiris repudiatis. hi XII. uigin-
ti quinq; uiros eligunt, quorũ quisq; ne
cesse ut octo suffragia ferat, pauciori-
bus namque nullus eligi potest. re ex-
pedita consiliarios per internuncium

admonent. hi si tempestiua hora fuerit, consilium cogũt, modoq; in nullo à superiori dispari uiginti quinq; illi impro uisi coguntur. ac dimisso consilio eodem genere sortis nouem eligunt, sexdecim reliqui discedunt. nouem hi quadraginta quinq; creant, sex item suffragijs, qui pari pacto coacto cõsilio à scriba pronunciantur, & in conclaue coguntur. ij sortis eiusdem beneficio rediguntur ad undecim, qui eligunt quadraginta unũ uiros ex primarijs senatoribus. qui continuo quum pronunciati fuerint, secedunt in atrium destinatum: hiq; ducis deligendi facultatem obtinent. non tamen duos eiusdem familiæ aut arcta necessitudine coniunctos in hanc electorũ classem admitti leges sinũt, qui mos perpetuus est apud Venetos in omnibus magistratib. Tam perplexam & multiplicem eorũ comitiorum rationẽ maiores nostri sapientissimi atq; optimi homines esse uoluerunt, ne ciuium multitudo omnino expers esset potestatis ducis creãdi. Nam primi ordinis electores sorte fiunt, quę omni-

omnibus ciuibus par est: post eum ordinem miscuere sorti electionem, ita tamen ut electio sortem antecelleret. nulli namq; fauere sors potest, nisi iudicio prioris ordinis fuerit comprobatus. at in postremo ordine nihil sortis esse sciuerunt: non enim putauere omnes qui principem electuri essent, sortium temeritati esse cõmittendos. ideoq; neq; multitudo omnino expers est huiusce autoritatis, neq; etiam omnino ius hoc tributum est multitudini imperitæ, apud quã plerunq; inanis quædam aura plus potest, quam optimorum ac sapientissimorum iudiciũ. Præterea cum nulli certi sint principis electores, sed res omnis ex eorum sententia pendeat, qui sortis beneficio usi sint, nullus ambitioni est locus. nam fieri facile potest ut hi nullum ius sint habituri, quos tu egregie ambieris. Nunc ad rem redeo. Peracta tandem ratione comitiorum, quum iam creati fuerint quadraginta unus uiri principis electores, statim omnes nullo interea ciuium salutato, nedum compellato, conueniunt

in eam curiam, in qua cogi senatus solet. ibi primũ omnium sancte ac pie diuina mysteria celebrant, uniuersiq; tactis altaribus iureiurando Deo Opt. ac reipublicæ pollicentur, eum sese ducem electuros, quem sanctitate, in patriam charitate, solertia, ac prudentia alijs præstantiorem esse duxerint. amotis deinde sacerdotibus soli in curia cõcluduntur, neq; famulo, neq; quopiam alio ministro accito. tunc tres, qui cæteros ætate anteceſſerint, ueluti præfecti residẽt ad paratã mensam quandam ad hoc munus: super qua urna quædã est constituta, ac unusquisq; elector notat in syngrapha nomen eius quem ducem pronunciat, ac notatam syngraphã in urnam iacit. iniectis omnium syngraphis una educitur, quæ sorte in manũ uenerat extrahentis. lecta à præfectis syngrapha, is cuius nomen exierit, si præsens fuerit, ut plerunq; contingit, continuo egreditur curiam. tunc si quis eorum existimauerit eum ciuem minus idoneum, qui tam magnam dignitatem sustineat, aut ob quampiam aliam

aliam cauſam, nõ fore è republica eum ducem eſſe, conſurgit: ac primo modeſte præfatus ingenue profert, quid de eo ciue ſentiat, & quãobrem putet nõ eſſe in rem patriæ, eum ducẽ fieri. cum finem is fecerit, præfecti nuncupatum adhibent: ac ſtatim à ſeniore ei omnia repetuntur, quæ ei obiecta fuerint, auctore tamen ſuppreſſo. nam ſacramento antea omnes perpetuo ſe obſtrinxere ſilẽtio, refellit ille obiecta ut libuerit. Deinde iterum recedit è curia. quòd ſi prior aut alius quiſpiam nouis rationibus adhuc arguere & accuſare hominem uelit, poteſtatem habet. nouis criminationibus rurſus accerſitus ille reſpondet, ſicq; uiciſsim res tractatur, donec accuſatoribus nihil amplius relictum ſit. tum demum in ſuffragia itur. ante hæc tẽpora, ſi is uigintiquinq; ſuffragia tuliſſet, nulla amplius aliorũ ratio habebaẽ, ſed ſtatim ille dux renunciabaẽ. noſtra tempeſtate in comitijs, quibus Andreas Grittus ampliſsimus ſenator creatus eſt dux, hæc ratio immutata eſt. nã licet nullus electus prin-

ceps habeatur, nisi suffragia uiginti quinq; tulerit, nihilominus non sistunt in eo qui primus eum numerum suffragiorum explicauerit, ut antea fieri solebat: sed progreditur ad alios, ut si quispiam eum numerum suffragiorum excesserit, non prior, sed hic dux renuncietur. Postquam itum est in suffragia pro primo cuius nomen exierat, alia item syngrapha ex urna educitur, ac omnia pari procedũt passu, quo in priori seruata sunt. sic in tertio, quarto, ac omnibus deinceps. quòd si nullus ad eã summam suffragiorum peruenerit, nisi hora diei fuerit intempestiua, iterũ eadem ratione comitia repetuntur. ac ut paucis res omnis expediatur, electoribus inde haudquaquã exire licet, neq; etiam ullam copiam habent cõuenien di, aut alloquendi extraneũ, donec uigintiquinq; eorum in principe eligendo conuenerint. quo renunciato confestim consiliarij in curiam uocantur: hi omnium primi nouum ducem salutant, ac uenerant. Post id fama per urbem uagatur, ubiq; discurritur, ciues gau-

gaudentes cõspicias: omnes supplices à Deo Optimo Maximo petunt, ut rei publicæ felix faustumq; id sit. familiares ac consanguinei ducis in curiã properant, nouo duci gratulantur. eodem temporis uestigio nummi cuduntur, cum facie ac nomine principis: parantur omnia quibus ad pompã opus est. interea dux electoresq; omnes ibidem operiuntur, instructis omnibus descendunt è curia, ædemque diui Marci ei loco propinquam adeunt, augustum templum, magnisq; opibus ornatum: Deum Optimum Maximum primo uenerantur, & suggestum ex porphyritide lapide confectum omnes ascendunt. Electorũ senior uerba ad populum facit, denunciat creationem noui ducis, eumq; modeste laudat. Post illum item dux orationẽ habet, ac pauca de se pudẽter præfatus, seruaturũ se pollicetur omnia quæ bonũ principem deceant, bonoq; reipublicę, nullius priuati commodi habita ratione consulturum: ac imprimis iustitiam curaturum, daturumq; operam, ut æquum ius om-

nibus sit. non rei familiari, non labori ulli, non denique uitæ parciturum, si rei publicæ usui suis incõmodis prospici possit. demum Deum Optimum Maximum, diuum Marcum (sub cuius nu mine ciuitas Veneta est) atque diuos omnes precatur, ut sibi faueant aspirentq; læti, in tam magni muneris functione. Verba ducis uniuersus populus magno plausu excipit. Postq; dux perorauit, descendũt omnes ex eo suggestu, ducemq; ad aram maximã templi statuunt: ibiq; tactis euangelijs iure iurando dijs immortalibus ac reipublicæ fidem suam astringit, se nil eorum omissurum, quæ legibus dux Venetus præstare teneatur. His actis electores, qui eatenus cũ duce perstiterunt, discedunt omnes: at ipse ligneum pulpitum conscendit, adscito consanguineo quopiam imprimis charo. Nautæ qui in precio habentur, pulpitum humeris attollunt, magnoq; plausu insidentẽ ducem per totum forum diui Marci deferunt. Dux uero ex pulpito pecuniã suo nomine excusam iacit: sũma nulla statu

ta est

ta est, sed pensatur rei familiaris copia, angustiáue, ac noui ducis liberalitate. iactã plebs studiose colligit. tandem circumacto foro cũ ad scalas ędium publicarum principis uentum est, pulpitum sistunt, è quo descendit princeps. mos inualuit, ut uestes quibus dux est indutus, uasq; argenteũ, in quo populo effundenda pecunia cõgesta fuerat, nautis qui pulpitum humeris sublatum gestauerunt, concedantur. Dux scalis ascensis excipitur à cõsiliarijs, qui ibidẽ operiebantur, & capitio, quod principis insigne suprà esse diximus, coronatur. hæc series est totius pompæ. Postridie senatu in curiam coacto dux orationem habet, deo ac patribus gratias agit, quòd ad id munus euectus fuerit, simulq; operam suam pollicetur nullo reipublicę commodo defuturam. eiusmodi ferè orationẽ habet corã uniuersis ciuibus, primis statim comitijs, quæ post se creatum ducem fiũt. Hactenus de principe seu duce reipublicæ nostræ dictum sit. Illud proximum est, ut de consiliarijs pauca perstringamus, quæ

tamen

tamen satis exploratam faciēt omnem illius magistratus autoritatem. assidēt principi cōsiliariij sex, quod suprà quoque diximus, singuli inquam ex unaquaq; urbis regione. in sex etenim regiones siue tribus diuisa est uniuersa ciuitas. harum tres sunt citra magnum riuum, qui mediam urbem diuidit, tres uero aliæ ultra. ex unaquaq; urbis regione consiliarius unus eligitur. Ea comitiorum ratione qua omnes magistratus creari suprà abunde satis explicuimus. magistratus iste octimestris: simulq; cum principe omnium quæ ad rempublicam rerum spectant curā habet. uerum ueteri admodum instituto uniuersa comitiorum ratio consiliarijs potissimum incumbit. si qua etiam de re ad magnum consilium referendum sit, eiusq; autoritate sanciēdum sit, res tota consiliarijs referentibus decernitur, utpote qui soli id iuris obtineant. his tamen interdum adiunguntur quadraginta uirûm præfecti, quibus tamē solis referendi ius nō esset. nulli præterea magistratui, dempto duce quē sem

per

per excipio, conceſſa eſt ea poteſtas. poſſunt etiam ſi eis libeat de re omni & ad ſenatum & ad decemuiros referre. Cæterum præconſultoribus ea præcipuè cura demandata eſt, ut & ſenatũ cogant & ad ſenatum referant: quemadmodum & xuirũm præfectorũ officium eſt & xuiros cogendi & ad eos referẽdi: de quibus à nobis infrà tractabitur. At conſiliarij ampliore autoritate ſunt pręditi, utpote qui in ſenatu parius habeant cum præconſultoribus, & in collegio xuirũm cum illius collegij præfectis. Octo mẽſibus duci aſſident eoq; munere funguntur quod iam explicui. Quatuor uero mẽſes interſunt, quin potius præfecti ſunt quadraginta uiris quib. capitis grauiores cauſę ſunt demandatæ, eisq; decernentibus iudicantur, de quibus ſuo quoq; loco dicetur. Nunc poſtquam de magno conſilio quod popularem ſtatum in hac republica refert, & de principe qui regiã perſonam gerit, ſi non eleganter ſatis, tamen diligenter tractatum eſt: inſtitutum opus poſcere uidẽ ut de reliquis

parti-

partibus huiusce gubernationis referamus, quæ optimatium regimen repræsentant. huiusmodi nanq; gubernatio in Veneta ciuitate cæteris facile præstat, quam sequenti uolumine deo annuente integre explicabimus.

Libri secundi finis.

CASPARIS CONTARENI PATRICII VENETI, De magistratibus, & republica Venetorum, liber tertius.

OMNIS hominum institutio, ni præposterа futura sit, naturam optimam rerum omnium parentem imitari debet: quæ cum ita totius mundi ordinẽ dispoſuerit, ut res sensus intellectusq; expertes, ab his quæ mente præditæ sunt, gubernẽtur, ac in

at in hominum hoc cœtu, quem ciuitatem appellamus, seniores iunioribus prudentia antecellant, utpote qui neq; perturbationibus animi ita obnoxij sunt ut iuuenes, rerumq; plurimarum quas in longiori uita experti sunt peritiores existant: ideo, quod Aristoteles in Politicis ait, in unaquaq; republica quæ naturæ solertiam & sapientiã æmulari uoluerit, senes præficiẽdi sunt summæ rerum: iuuenum uero officium esse debet, ea facere quæcunq; iusserint senes. neq;, quando hoc institutum maxime secundum naturam est, seniorum imperium iuniores detractare possunt, aut ob hanc rem seditionem ullam concitare, quoniã in discrimine hoc quod ætas facit, nullus inuidiæ locus est nullaq; querela esse potest, quãdoquidem iuniores certò sperẽt sibi à minoribus uicem repensum iri. Quamobrem in rebuspublicis omnibus quæcunq; alicuius nominis unquam fuerunt, gubernationi ciuitatis, rerumq; omnium publicarum seniorum consilium præfectum est, quem senatum etiam à senioribus

ribus nominarũt. hac in parte adducerem Romanorũ, Athenienſium ac rei publicæ Carthaginenſium & Lacedęmoniorũ necnon plurimarũ ciuitatum leges, ni res notior eſſet, q̃ ut ullius teſtimonio cõprobari egeat. Pari igit̃ ratione in noſtra rep. inſtitutus fuit ſenatus ac decẽuiri: qui in Veneta ciuitate, cuius rẽpub. mixtã eſſe dixi ex regio, populari & optimatiũ ſtatu, referũt optimatium ſtatum: ac media quędã ſunt, quibus extremæ partes, ſtatus ſcilicet popularis, magnum conſilium, ac princeps qui regis perſonam gerit, inuicem uinciuntur. *Sic inquit Plato in Timæo extrema elementa, terram ac ignẽ mediis elementis uinciri: ſic in* diapaſon cõſonantia extremæ uoces mediis diateſſaron ac diapente uocibus inuicem nectuntur. Vt ergo cœptum iter peragamus, ſenatus Venetus centum & uiginti legitimos ſenatores habet, multi tamen præterea magiſtratus obtinent ius ſenatoriũ, adeò ut noſtra tẽpeſtate ducẽti & uiginti & amplius ius habeãt ferẽdi ſuffragium in ſenatu. Senatores legiti-

legitimi singulis annis ab uniuerso ciuium cœtu (quẽ magnũ consiliũ nominari sæpius est repetitũ) creantur. Nec tamẽ hic honos uacationẽ ullã habet, quemadmodũ omnes alij magistratus, sed ijdẽ si ita sors tulerit, & magno cõsilio libuerit, quod plerũq; fit, singulis quibusque annis in eo munere uersari queunt. Modus & ratio electionis supra à nobis exposita est, cum formam omnẽ comitiorũ explicaremus. Eo igitur pacto augusto ac septembri singulis comitijs sex senatores eliguntẽ, quæ decies repetita summam sexaginta electorũ explent. sexaginta reliqui adiuncti, seu adscripti sunt prioribus, omnesq; hi simul propríjs quibusdam comitijs eliguntur. Nam ad tertium Calendas Octobris cogitur senatus. Vnusquisq; senatorũ & quiuis alius, cui suffragij ius est, in senatu unum ciuem nuncupat. Postridie uero illius diei mane ad horam diei tertiam conueniunt uniuersi ciues comitijs: prælectisq; à scriba magno omnium ciuium nominibus, quos pridie senatores nomina-

uerint, coniecta in urnam omnium nomina sorte educuntur. At in suffragia pro unoquoq; itur ex omnibus his sexaginta: qui plura suffragia tulerunt quàm cæteri, dummodo etiã dimidia excesserint, eo anno adscripti senatui sunt, ea tamen lege, ne plures q̃ duo gentiles in eorũ numero sint: sicq; tres tantum eiusdem gentis in numero legitimorum senatorũ esse queunt, præterea nullus. qua lege optime consultum fuisse reip. existimari debet. nam nulla pernicioſior pestis in rempublicam obrepserit, q̃ si quæpiã eius pars cæteris prævaluerit. sic namq;, quoniã æquum ius non seruatur, impossibile est societatem inter ciues consistere: quod usu euenire solet ubicunq; plura in unũ conueniunt. sic soluitur mixtũ, si quodpiã elementorũ, ex quibus corpus constat, alia superauerit: sic omnis cõsonantia dissonans fit, si fidẽ unam seu uocẽ plus intenderis quàm par sit. Non impari ratione, si ciuitatem aut rempublicam cõstare uolueris, necesse est id imprimis seruari, ne qua pars

alijs

alijs efficiatur potentior, sed omnes quoad fieri possit, publicæ potestatis participes sint. Quocirca perquam egregie maiores nostri sancitum esse uoluere perpetuum hocius in republica nostra, non tantum in senatu, sed neq; in alijs magistratibus pluribus gentilibus locum esse, quam ad seruandam æqualitatẽ opus esse uideatur. Nec minus prudens institutio eligẽdi senatus habẽda est, ut scilicet sexaginta senatores more comitiorũ solito, sorte inquã electioni ac iudicio admixta eligerentur: sexaginta uero adiuncti ratione diuersa, in qua scilicet nil esset sortis. Et enim si in omnibus par sorti locus esset, facile accidere posset, ut aliquãdo precipuorum ciuium ratio nõ haberetur, atq; in eligendo senatu præterirentur non sine reipublicæ detrimento. Idcirco sexaginta patres ascriptos nulla sorte singulis tamẽ annis eligi placuit. Senatus igitur primum ex ijsce centũ ac uiginti constat, quorũ sexaginta proprio uocabulo senatores appellantur, at reliqui adiuncti, quorũ comitijs in-

tegra dies consumitur. præter hos centum & uiginti legitimos senatores pari iure in senatu cum senatoribus uiuunt (ut ducem & consiliarios præteream) decemuiri, quadraginta uiri iudices capitalium causarũ & criminum grauiorum, salis & annonæ frumentariæ præfecti, diui Marci procuratores, multiq; præterea magistratus, adeò ut nostris temporibus summa omniũ centos ac uiginti excedat. hi iure senatorum funguntur, uniuersa gubernandæ reipublicæ ratio ad senatum pertinet. quicquid senatus autoritate decretum fuerit, id sanctum & ratum habetur. eo disceptante & decernente et pace fiunt & bella suscipiuntur. pecunia etiam omnis reipublicæ eius iussu exigitur, & impẽditur, si res postulat, noua etiam tributa & decimæ, tamen ex decreto senatus, tũ imponuntur ciuibus, tum etiam exiguntur: siquando etiam contingat è repub. esse ut nouus quispiam magistratus pro tempore instituatur, is à senatu eligitur. Præterea senatus quibuscunq; temporibus perpetuum

petuum ius obtinuit eligẽdi oratores, qui ad principes exteros à republica destinãtur, necnon etiam creandi collegiũ eorum, qui ius habent & cogendi senatum & ad ipsum referendi. hos Aristoteles præconsultores nominat, nostrates uero Sapientes uocant, arrogantiore uocabulo usi: quo interdum nobis quoq; utẽdum esse duximus, ne à cõmuni loquendi usu penitus abhorrere uideamur. Comitia tamen hæc senatus, quibus & oratores & præcõsultores eliguntur, minus habent sortis, quàm ea quę supra descripsi, magni sci licet consilij uniuersiq; ciuium cœtus. unusquisq; enim senatorum nominat quem uoluerit, deinde pro singulis in suffragia itur: isq; cui plura cõtigerint quàm reliquis, dummodo dimidium totius summa excedãt, electus renunciatur. Quòd si quandoq; necessitas & usus reipublicę poposcerit ut inuito cuipiam munus aliquod publicum iniungatur, unusquisq; senatorum clàm in syngrapha eius nomen notat, quem maxime idoneũ duxerit: deinde in ur-

nam ad id paratam schedulam eam iacit. inde à scriba extrahuntur, palamq; leguntur omnes, ac demum pro quolibet itur in suffragia: iscq; pronũciatur electus cui plures suffragati fuerint, dummodo etiam sint plures dimidijs. Hic schedularũ modus inuẽtus est, ne quispiam ueritus inimicitias siue alterius ciuis odium comparare, qui maxime ei muneri fungendo aptus sit, nolit tamẽ, abstineat ab eo nominãdo: sicq; priuati cõmodi gratia respublica detrimendo afficiatur. Nũc is est à nobis recensendus modus quo senatus consulatur, eaq; decernat & sanciat quę facienda sunt: aut quonam modo senatusconsulta fieri consueuerint. Non latuit maiores nostros, si unusquisq; senator promiscue tum referre ad senatum tum sententiam dicere posset, atq; hoc officiũ propriũ nullius esset, magnam semper in senatu turbationem fore. Prętera ita usu compertum esse, ut id quod omnes pariter curant, omnes etiam pariter negligant. Ideo legibus nostris statutũ est, ut à senatu sedecim

ciues

ciues eligantur, quos uulgus propterea q̃ maxime omniũ ſapere uideanť, Sapientes appellat. nos Ariſtotelẽ imitati, eo quòd præcõſultant illa de quibus conſulendus eſt ſenatus, præconſultores merito appellare poſſumus. hi ius habent & cogendi ſenatum, & ad ſenatum referendi. magiſtratus hic ſemeſtris eſt. Cæterũ hi Sapiẽtes in tres ordines ſunt diſtributi, qui longiſsimo interuallo inter ſe differunt. In primo enim ordine ſex ſunt ſenatores primarij ciues, qui cum rerum experientia tum dignitate atq̃ æſtimatione alios facile antecellunt. his præcipue id muneris incumbit, ut de adminiſtranda republica, de bello, de pace, atq̃ alijs maioribus, pręconſultent atq̃ ſenatũ conſulant. In ſecundo autẽ ordine quinq̃ ſunt ciues, qui tametſi parẽ autoritatẽ referẽdi ad ſenatũ habeãt de omnibus cũ illis qui ſunt primi ordinis, nihilominus ſunt dignitate atq̃ æſtimatione ſuperioribus longe inferiores. Officium horum præcipuum eſt, cura militũ qui reipublicæ ſtipendio aluntur & merẽt

ſub Veneto imperatore. Tertij quoq; ordinis quinq; ſunt quibus demanda-
ta eſt rei maritimæ cura, neq; præterea de quacunq; re ius habent ad ſenatum referendi. hic ordo apud maiores noſtros in precio habebatur, quo tempore apud Venetos res maritimæ florebant. Verũ re maritima diminuta, noſtrorumq; ſtudijs ad continentis imperium conuerſis, cœpit hic quoq; magiſtratus in paruo precio haberi: adeò ut ætate noſtra adoleſcentes ac primę lanuginis homines ad eum ordinem eligantur. hi ergo ciues ſedecim quorum conuentus apud Venetos proprio uocabulo collegium appellari conſueuit, ſummo mane conueniunt cum principe ac conſiliarijs: primumq; ad tertiam uſq; diei horã priuatos homines audiũt, quibus aliquid rei eſt, aut cum republica aut cum quopiam magiſtratu: easq; cauſas decernunt omnes ſimul, uel ſi ita res poſcere uideatur, ad ſenatum de illis referunt. ſub tertiam diei horã omnes priuati è curia dimittuntur, confeſtimq; ab aliquo ſcribarum

rum qui à secretis reipublicæ sit, legun
tur omnes epistolæ ad senatum missæ.
postmodum, nisi ab oratore alicuius
principis, qui ad ducem & collegium
admitti uelit, aut à quopiam maioris
momenti negocio, quàm ut ad aliud
tẽpus differri possit, interpelletur, sece
dunt hi Sapientes, siue præcõsultores
in certũ conclaue cõsultaturi de publi-
cis negocijs. Postquam cõuentum est,
& cõsederunt omnes, is qui præfectus
est (nam per uices eorum quilibet sep
tenis præ cæteris agendorũ curam ha-
bet) rem proponit, de qua sit cõsilium
ineundũ. Deinde singulos sententiam
rogat, eo seruato ordine, ut primę clas-
sis consultores primarij ciues, primi e-
tiam sententiam rogentur: dicantq; post eos, quinque illi quos in secundo ordine constituimus. Postremi, si res proposita maritima sit, sententiam di-
cunt tertiæ classis præcõsultores, qui-
bus earum rerum cura demandata est.
Quòd si res proposita ad maritimum
negocium non spectet, hi postremi si-
lent. in unaquaque uero classe primus

ſententiã dicit, qui ſeptẽ proximis die-
bus prę fuit. Deinde maxime ſenex, de
inceps alij prout ætate prę ſtiterint. Po
ſtremus omniũ, qui alios rogat, remq́
deliberãdam propoſuit, quiq́ per eos
ſeptem dies præfectus fuerit, ſententiã
ſuam adfert. Re tandẽ inter ipſos pro-
pè diſcuſſa ac deliberata, ſiue omnes
in eandem ſententiã conuenerint, ſiue
in duas aut tres, prout diuerſa ſunt ho-
minum ingenia, diuiſi fuerint, princi-
pem & conſiliarios cõueniunt, priuſ-
quam ſenatum cogant. Ibiq́ omnium
ſentẽtiæ recitantur, quibus ſi princeps
aut conſiliarius quiſpiam adhę rere uo
luerint, ſuaq́ autoritate fauere, aut ali-
am nouã inuenerint, re iterũ inter eos
tractata, tandem omniũ ſententiæ ſcri
ptis mandantur. Id muneris eſt ſcriba-
rum, qui ſunt à ſecretis ſenatus. ſic ne-
gocijs, quæ ſenatus autoritate decer-
nenda ſunt, conſultatis, ſenatum co-
gunt, coram quo primũ recitantur om
nes literæ, quæ alicuius ſint momenti,
quæ ue poſt dimiſſum proximũ ſena-
tum principi & prę conſultoribus red-

ditæ

ditæ fuerint. postea in his rebus, quæ à collegio pręconsultorũ deliberatę fuerint, primũ sentẽtiæ leguntur, siue illæ concordes sint, siue inter se diuersæ, eodem ferè pacto quo Plato innuit apud Atheniẽses rogationes populi fieri solitas fuisse. Nullus uero pręter eos quos à Venetis Sapiẽtes uocari admonui, referendi ad senatum ius habet, suãq; sententiã illius ordinis autoritate cõfirmãdi & sanciẽdi: semper ducẽ, cõsiliarios & quadraginta uirũm præfectos, de quibus infra dicemus, excipio. Lectis in senatu omniũ sententijs, præfectus collegij (si uoluerit) surgit. sin minus, maxime senex, aut is cui dicere uolenti, alij cõcesserint. elatiorẽq; suggestũ ad id factum cõscendens uerba ad senatũ facit: rationes omnes quibus sententiã suam adstruat, dissidentesq; refellat, in medium affert: modeste tamen & grauiter, ut senatorij ordinis uirum decet. qui postquam perorauerit, surgit præconsultor alius, qui à priori dissentiat, suamq; ipse sententiam confirmat, priorem uero confutat, aliasq;

aliasq́, si quæ sunt præter priorẽ, quæ â sua discrepant. surgit deinde tertius, si tot sentẽtiæ fuerint, eaq́ in medium adducit, quæ secum facere uidentur: sicq́ deinceps res inter eos discutitur, quoad nullus eorum sit, qui uerba facere uelit: nulli namq́ senatori locus dicendi datur, quousq́ præconsultores omnes qui id muneris subire uoluerint, dicendi finem fecerint. sed postq́ ultro citroq́ quantum libuerit, & orationibus & argumentis hi contenderint, aliis quoq́ senatoribus dicendi facultas datur. quòd si senatorũ aliquis cuipiam ex dictis sententijs contradicere, aut earum quampiam astruere siue etiam nouam adferre uelit, dicendi copiam habet. nullus tamen senatorũ de noua sententia, quam ipse inuenerit, & ad senatũ proposuerit, ius ad senatũ referendi habet: sed plerũq́ contingit, si consilium eius senatoris è republica esse uideatur, ut aliquis ex collegio siue consiliarius siue quadraginta uirũm præfectus de ea sententia ad senatum referat. Hoc ergo pacto rebene di-

ne discussa & deliberata, suffragijs uniuersis senatus decernit, quam nam sententiam potissimũ probet. non tamen pedibus in sententiam eunt, aut recedunt, quem morem Romanos seruasse memoriæ proditum est, neq; palàm sententiam dicunt: sed urnis ac suffragijs rem decernunt, non dissimili ratione ab ea quam in comitijs seruari suprà docuimus. Scribæ qui sunt à secretis senatus, ferunt totidem urnas quot fuerint sententiæ, de quibus cõsulitur senatus: unamq; uiridem quæ eorum suffragia excipiat, qui sentẽtias eas omnes repudiãt. Præterea unã rubei coloris, in quam iaciunt suffragia senatores, quibus nondũ liqueat. unusquisq; autem senatorum suffragiũ in eius urnam demittit cuius sententiam præ alijs probauerit: si uero omnes reijciat, in uiridem urnam. quòd si nondum liqueat, ac dubitet, urna rubea præsto est. Cõsiliarij suffragia numerãt. Id uero pro decreto habet, cui plures q; dimidij senatores fuerint suffragati. q; si nullius sententia dimidium summæ

excesse

exceſſerit, primum ea reiicitur, cui pau
ciſsimi fuerint aſſenſi, repetũturq; ſuf
fragia pro cæteris ſententijs, eodemq;
modo poſtrema ſemper reiecta, con
trouerſia ad duas deducitur, quarum
altera neceſſe eſt ut plura dimidijs ſuf
fragia ferat, in quam ſenatuſcõſultum
factũ fuiſſe pronunciatur. Re una ex
pedita de alijs refertur, niſi hora diei
intempeſtiua fuerit: idemq; modus in
alijs ſeruatur. Si uero cuiuſpiam prin
cipis orator ad rempublicã Venetam
acceſſerit, à principe, conſiliarijs, uni
uerſo collegio excipitur, auditurq; ab
eis. deinde conſultandi tẽpus petunt.
quo dimiſſo, req; à præconſultoribus
eo quem ſuprà diximus modo delibe
rata, ſenatus conſulitur. princeps pri
mum ſenatui narrat, quæ petierit ora
tor. deinde omnium qui ius referendi
ad ſenatum habent ſententiæ legũtur.
eadem ratione fit ſenatuſcõſultũ, quo
petitioni oratoris reſpondet. quo acci
to legitur ei ſenatus decretum, ſicq; di
mittitur. Hæc ferè ſumma eorum quæ
tum ad ſenatuſconſulta tum ad uniuer

ſam

sam rationem atq; ordinem consulendi senatum pertinere uideantur. Nunc & temporis & loci uidetur esse, ea de x uiris paucis recensere, quę facere ad institutum opus uideri possunt. x uirûm hoc collegiũ apud Venetos summæ est autoritatis, & à quo non immerito quis asserat reipublicæ incolumitatem præstari: cuius origo, ut eius magistratus ratio omnis facilius intelligi possit, longius à nobis est repetenda. Diuina quadam animi prudẽtia maiores nostri perspexere, quemadmodũ in corpore humano putrescẽte humore quopiam innumeri ac periculosissimi plerunq; morbi accidunt, qui sæpe etiam interitum adferunt: ita etiam in rebuspublicis insurgere interdum improbos ciues, qui negocium reipublicæ facessant, dum potius praue imperare uolunt, quàm legibus parere, siue adducti ambitione ac regnãdi cupiditate, siue ære alieno grauati, seu etiam scelerum conscij, ac metuentes ne pœnas daturi sint: quales Romæ legimus fuisse, Catilinã, Syllam, Mariũ, ac demum

mum Iulium Cæsarem, qui tyrannide potitus rempublicã penitus euertit. In Græcorũ etiã rebusp̃ublicis alioqui illustribus nõnullis eiusmodi ciues præditos extitisse memoriæ proditum est. Nostris uero temporibus compertum est omnibus, omnes ferè ciuitates Italiæ quæ populari statu aut etiam optimatium utebantur, tandem in cuiusp̃iam suorum ciuium tyrannidem deuenisse. Quamobrẽ omnibus uiribus maiores nostri nitendum statuêre, ne pulcherrime instituta respubl. optimisq; legibus confirmata, à quopiam huiusmodi monstro uexaretur. Nihil enim magis sibi metuendum esse duxerunt, quàm intestinũ hostem & ciuiũ inter se simultatem. Cæterum cum animaduertissent in republica Lacedæmoniorũ Ephoros summæ autoritatis fuisse Romæq; X uiros, qui etiam leges condiderunt, operepræciũ se quoq; facturos crediderũt si horum exemplũ imitati, in dispari tamen causa magistratũ summæ potestatis in hac nostra ciuitate instituerent, cui prouidendi præcipue

pue cura esset ne qua inter ciues discordia, quæ seditionem faciat, oriatur: ne qua factio, aut ne quis pernicioſus ciuis reipublicæ insidias moliatur. quòd si quispiã huiusmodi morbus malo fato in ciuitatem obreperet furtim, summam haberet authoritatem in eos animaduertẽdi, ac procurandi ne respublica quippiam detrimẽti patiatur. tam magna uero potestas, neq; paucissimis cõmitti poterat sine periculo: neq; formidabilis si multis cõmitteretur, futura erat. quocirca ut ab utroq; incõmodo cauerent, instituerũt hoc decemuirale collegium. annuum hi gerunt magistratum, eamq; uacationem habent, ut is qui uel per diem in eo magistratu fuerit, non tantum eo anno sed futuro etiam eius muneris uacationem habeat, neq; fas sit de eo in comitijs decẽuiralibus mentionem haberi. quibus decemuiris principẽ quoq; & cõsiliarios adiunxere, ut uniuersum collegiũ summam decem & septem ciuium expleret, quibus hæc summa potestas tributa sit, ex decẽ uiris, singulis mensibus

tres dicuntur ab illis quibus sors obtigerit, qui principes collegij sunt, quique materna lingua capita Xuirûm appellari consueuerunt: & hi ius cogendi Xuirale collegium habent, referendique ad illud. priuatum conclaue habent, in quod quotidie conueniunt: priuatos etiam ministros habent, ianitores, apparitores ac stipatores, adeò ut nullius magistratus subsellia cũ maiori obseruantia adeas. adeunt uero omnes illi quibus cum decemuiris negociũ est. literas quoque ad collegium scriptas legunt, & de illis ad idem referunt. ne tamen temere senatus ille consulatur, unus tantũ ex his principibus referendi ius nequaquam habet, sed duo sint opus est, qui referre de eadẽ re uelint, seu quatuor consiliarij. ob eam etiam causam ne quid temere à paucissimis ciuibus immutari possit, illud institutum est, ne si quippiam quod iam sancitũ sit abrogare uoluerint, decretum id haberetur, nisi duæ collegij partes suffragatæ essent. Hunc quoque morem obseruant, ne reum cũ de eo iudicium

laturi

laturi sint, in iudicium admittant, neq; cognatum aut oratorem quempiam, qui eius causam agat: quod tamen iureis cõcessum est, cũ apud quemcunq; alium magistratũ causam dixerint. Verum huiusmodi institutum in iudicijs seruant. â principibus collegij reus auditur, eiusq; dicta omnia scriptis mandant. Cũ aũt causa ad collegiũ deferẽt, ipsi collegij principes alijq; iudices qui interfunt, & accusatoris & rei uicẽ agũt: resq; maxima semper adhibita iudicij ratione decernit. Initio xuiri huic tantum rei operã impendebant, ne scilicet reipublicæ ciuili concordię quicquam officeret. Postea uero grauissima quædam crimina & enormia facinora huiusce iudicij seueritati ac censurę cõmissa fuere, ut hi qui rei facti essent, quòd numos adulterinos cudissent, uel quòd uenere mascula usi essent. sed nostris temporibus xuirũm autoritas lõgius serpsit. nam iam nonnulla maxime arcana, quæ ad reipublicæ gubernationẽ attinent, ad xuiros deferuntur: licet nihil maioris sit momenti

mẽti, niſi è ſententia totius ſenatus decernant. ſed & iam pleræq; pecuniarię res ab ipſis adminiſtrantur. Quocirca ne in tot tamq; arduis negocijs pauciſſimis ius eſſet ciuibus, accerſiti ſunt in hoc collegiũ Sapientes primi ac ſecundi ordinis, Aduocatores quoq; & Procuratores ſancti Marci, qui magiſtratus ſummæ eſt ueneratiõis: ſuntq; præter hos huic collegio quindecim ſenatores, quos adiunctos uocant, aſcripti. uniuerſi tamen hi ius ſuffragij non habent, ſed tantummodo decem & ſeptem priores, & quindecim his adiuncti, adeò ut omnes ſummam expleant XXXII ſuffragantium. Cęteri hoc iure etſi omnibus negocijs interſint, priuati ſunt. adiuncti quindecim neq; à ſenatu neq; comitijs magni conſilij eligi ſolebant: ſed X uiri quos uoluiſſent ſenatores, quindecim collegas ſibi adiũgere cõſueuerant, qui tamẽ neq; gentiles eorum, neq; arcta neceſsitudine coniuncti fuiſſent. Nunc uero hi comitijs magni cõſilij eliguntur. Maximam ex X uirali collegio reipublicæ Venetæ

utilita

utilitatem extitisse, ipsa experiẽtia expertum est. nam anno ab hinc decimo supra ducẽtesimum, Martinus Phaletrus dux, qui tyrannidem moliebatur magnamq; reipublicæ turbationẽ allaturus fuerat, continuo xuirûm autoritate ac prudentia oppressus, temeritatis simul & sceleris pœnas dedit: disceptanteq; hoc collegio capite truncatus est, unà cum plerisq; nobilissimis ciuibus, qui cum eo in pernicie libertatis conspirauerant, perpetuaq; ignominię nota fuit affectus. Eo enim in loco in quo imagines omnium principum depictæ sunt, cum elogijs rerum quas optime pro republica gesserint, Martini Phaletri sedes imagine uacua, uersiculis quibusdã inscripta est, quibus legentibus significatur eum ducem pro criminibus (ut nihil immutem) securi percussum fuisse. Pernicioſissima certe, & quæ facile perniciem & exitum reipublicę allatura fuerat conspiratio, ni decemuiralis collegij autoritate oppressa fuisset. Nõnulli quoq; ciues, qui ambitione ducti periculosas quasdam

leges promulgauerãt, ut auram popularem aucuparentur, cõtinuo Xuirum authoritate compresi reipublicæ pœnas temeritatis ac immodicæ ambitionis dederũt. Qua ratione effectum est deo Optimo fauente, ut nullus huiusmodi morbus in hac ciuitate nostra hoc pacto collegij huius autoritate cõfirmata inualescere possit. Iam præcipuæ reipub. Venetæ partes, quibus uniuersa ferè gubernatio continetur, à nobis expositæ sunt. Verũ ut omni ex parte institutũ â nobis opus perfectũ sit, de reliquis quoq; magistratibus docebimus, à quibus tum iura dicuntur, tum pecuniæ publicę administrantur: necnõ de gubernatoribus ciuitatum, quę sub Veneta ditione sunt, deq; classium, exercituumq; præfectis. Postremo nonnulla instituta exponã quibus optime meo quidem iudicio cautũ est, ne populus & plebs minutior ægre ferat nullam sibi in hac republica gubernationis partẽ esse. Docebimus item haudquaquã omissam fuisse, ut plerique existimant, publicam ad remp. iuuentutis

tutis institutionem. Verum anteqũ ad hanc rerum institutionẽ explicandam ueniam, nõ ab re esse existimo, si lectorem admonuero, in ea ratione, qua supra dixi senatum consuli solere, necnon & xuirũm collegiũ, apparere perspicue mixtionem quandam legũ popularis status, & reipublicę optimatiũ. Nam quòd nihil possit senatus decernere nisi prius de eo ad ipsum senatum à præconsultoribus relatum sit, status optimatium est. Quòd uero præconsultores nullam habeãt potestatẽ, nisi consulant senatum, eorumq; sententia illius autoritate cõfirmata sit, est utiq; popularis gubernationis institutum. Itaq; non tantũ in uniuersa hac nostra republica, uerumetiam in quacunq; eius parte, qui recte perpẽdet, inueniet hanc quam dixi, mixtionem & temperiem, cum qua rectæ illæ gubernandi rationes, in unam formam atq; speciem reipublicæ nostrę coaluerint. sed nostra unde egressa est reuertatur oratio. Omniũ ergo prima nobis ea pars sit exponenda, quæ ad ius pertinet.

Vniuersum igit̃ ius, quod à magistratibus reddi solet, bifariam diuisum est. Nã aut in supplicijs, quæ sumẽda sunt de hominibus facinorosis, qui patriã aut ciuem aliquẽ insigni iniuria affecerint, uel in deos immortales impij extiterint, cõstitutum est. Aut positum est in causis forensibus iudicandis. Idcirco etiã Venetijs duo genera iudicum sunt, horum alterum causis forẽsibus, alterum uero iudicijs rerũ capitalium præficitur. Primum itaq; de criminosorum hominũ iudicibus, mox de forensibus dicemus. Delictorũ quædam minutiora, uel suapte natura uel peccantium hominum conditione habentur. Nõnulla grauiora & maioris momenti, aut genere ipso peccati, aut peccantiũ nobilitate. qua de re duplices quoque sunt capitalium rerũ magistratus instituti. ad horũ alteros grauiores causæ & insigniora facinora deferuntur, ad alteros uero leuiora. Hac ergo ratione iudicia uniuersa in repub. Veneta perquam egregie diuisa atq; constituta uideri possunt: nos de insigniori-

bus

bus primo, subinde de alijs dicemus. Præter delicta quæ xuirûm censuræ commissa esse supra diximus, grauiora omnia crimina Aduocatoribus referentibus collegioq; quadragintauirali disceptante discerni solēt: pœnaq; constitui his qui in eis deprehensi fuerint pro criminis qualitate. quadraginta hi uiri, qui criminum causis prefecti sunt, criminales uulgo appellari cōsueuerunt. Aduocatorius magistratus priscis temporibus magnæ fuit autoritatis incredibilisq; existimationis: cuius præcipuum munus est, legū custodia, ne aliqua scilicet in parte legibus officiatur. Quamobrem quilibet eorum, qui in eo sunt magistratu, eam propè intercedendi potestatem habet, quam apud Romanos tribuni plebis obtinebant: sed illi ut tuerentur libertatē plebis Romanæ, nostri uero ut uim legū tueantur: quare non immerito tribuni legū uocari possent. Nos uero ne perspicuitati, cui præcipue operā damus, ulla in parte officiamus, à communi usitatoq; uocabulo non recedemus. Illi

ad populum seu plebem referebãt, no
stri uero Aduocatores ad quadragin-
ta uiros de leuioribus causis referunt.
De maioribus aũt ad senatũ, & de ma-
ximis interdũ, si ita eis uisum fuerit, ad
maius consiliũ referunt. Quamobrem
antiquitus magna erat huius magistra
tus autoritas. Nunc uero quoniã xui-
rũm autoritas latius euagata est, ideo
Aduocatorum existimatio obscurata
est, eorũ autoritate imminuta. Cæterũ
quũ is magistratus tam amplam obti-
neat intercedendi potestatẽ, in omni-
bus, legũq; custodia ad eum potissimũ
pertineat: atq; hi qui facinus aliquod
perpetrarint, maxime contra leges fe-
cisse uideantur, præcipue illustres ciues,
quorum interest præter alios reipubli-
cæ cõseruandæ operã dare: idcirco pe
culiari quodam modo huiusmodi deli-
cta censura Aduocatorũ uisa sunt esse
corrigenda, licet ipsi nullã habeant po
testatem quippiam cõtra reos statuen-
di, præterquam in paruis quibusdam
causis. cætera omnia de consiliũ senten
tia statuuntur. Hoc in loco non ab re

futu-

futurum duco si omnem iudiciorũ capitalium rationẽ explicuero, quæ Aduocatoribus referentibus fiunt: quandoquidem nullibi quod sciam modus hic seruari soleat: simulq; (ut arbitror) satis perspicuum faciemus, quam nam autoritatem habeat hic Aduocatorius magistratus. Quum crimẽ aliquod ad Aduocatores delatum fuerit, si res digna censeatur eorum censura, cõfestim uel ab omnibus uel etiam ab uno tantum, nam tres ei muneri præfecti sunt, interdicitur, & reus efficitur ille, cuius nomen delatum sit. Deinde ab intercessore refertur de eo crimine ad consilium illud quod maluerit Aduocator qui interceſſerit, quamuis plerunq; consulatur XLuirale collegium, quod iudicijs capitalium criminũ prefectum est. Ibiq; causa recitata, de cõsilij sententia decernitur, an reus sit in carcerem conijciendus, & quæstioni adhibendus, an potius solutus causam dicere debeat. Post id iuxta decretum consilij accersitur reus, uel clàm capitur ab apparitoribus Aduocatorũ magistratus

giſtratus: ibiq; ſiue ſolutus ſiue in uinculis coactus de eo crimine rogat̃, reſpondet, teſtes utrinq; citantur, omnia ſcriptis mandant̃, ſiue pro reo ſiue contra reum faciunt. Hac ratione tota cauſa in codicem publicum relata, omnium quæ ſcriptis mandata ſunt reo fit copia: cõſtituiturq; tempus, quo docere cauſam poſsit aduocatos atq; oratores, quos ſibi adhibuerit, illiq; poſsint omnia diligenter perſpicere, quæ reo patrocinentur, necnon etiam cogitare quo pacto obiectum crimen teſtimoniaq; reo aduerſantia diluere poſsint. tandem cauſa incipit agitari. Hac in parte non eſt reticendus mos maiorũ ad noſtra uſq; tempora perductus. ſi enim fortè quiſpiam reus factus tam tenui re familiari fuerit, ut ſumptum facere nequeat in conducendis aduocatis, qui partes ſuas tueantur, orator, qui conductus reipub. ſtipendio eſt, id munus habet, ſuſcipit inopis illius rei partes tuẽdas. ſic enim lege cautũ eſt, ne ullus indicta cauſa puniatur. Poſtquam uero ſatisfactum fuiſſe reo uide

tur

tur, neq; ad sui defensionẽ quippiã amplius desiderandum fuerit, Aduocatores consiliũ indicunt, diemq; reo cõstituũt, quo causam dicturus sit. Cõsilio coacto magistratus hic Aduocatorius accusatoris uice fungitur: eosq; qui in eo sunt magistratu maxime decet, ut accusatores acerrimos agãt, qualis (dũ modo id assequi possint) fuit Cicero in Verrem, in M. Antonium, dum tamẽ illi maledicere parcant, neq; extra causam maledicẽdo uagentur. Nam is qui maledictis indulget, potius inimici & praui hominis officiũ facere, quàm rei publicæ causam agere uidetur. Hac enim parte apud Venetos longe secus res se habet, quàm apud Romanos. Olim Romę quiuis ciuis alteri diẽ dicere poterat, eũq; quàm acerrime accusabat apud iudices. Venetijs uero nemo priuatus hoc munus obire potest, sed ex reipublicæ lege officium illud est Aduocatorij magistratus. Qua in re magis naturam rerum imitati, sapientiusq; concordiæ ciuium consuluisse maiores nostri uideri solent q; Romani

mani. Nam quoniam qui facinus aliquod perpetrauit, maxime leges & rē publicam læsit, ideoq; præcipuè reipublicæ pœnas dare debet, iure magistratus is qui tuendis legibus præest, à facinoroso homine pœnas poscere, atq; ad id omni studio eniti debet. Contrà priuati officiū est illatas sibi iniurias obliuisci, facileq; reo concedere. Præterea nullus priuatus ciuis potest accusatoris personā sibi sumere absq; maxima inuidia & incredibili odio eius, cui diem dixerit: ex qua re facile seditiones oriuntur inter ciues: atq; id incōmodū à nostris perquàm egregie uitatū est, uniuerso hoc accusandi munere magistratui demandato, qui non priuata simultate ductus, sed ex legis instituto id agat. quo effectum est, ut nunquā ferè auditum sit Aduocatorum cuipiam uicio datum fuisse, quòd uehementius in reum sit inuectus, aut nimis acrem accusatorem se gesserit. imò qui acriter in hoc officio uersatur, magnam sibi laudem cōparat apud uniuersos ciues. Sed ad incœptam iudiciorū ratio-

nem

nem redeamus. Agit ergo coacto consilio Aduocator partes accusatoris, orationemq; in reum habet acerrimam, crimina & facinora obijcit primũ, deinde testibus obiecta confirmat ac uerisimilibus cõiecturis astruit. Postquã dicendi finem fecerit, agitur causa rei ab eo patrono, quem sibi asciuerit. deinde si Aduocatorum quispiam antequam iudices sententias rogentur, dicere uoluerit, locum dicendi habet: similiter aduocati rei respondendi & obiecta crimina diluendi facultatem habent: eaq; ratione causa utrinq; agitatur, donec alter eorũ, siue reus siue Aduocator, cui dicendi locus, succumbẽs se amplius dicere nolle pronũciauerit. Perorata causa reus eiusq; patroni discedunt è curia iudicũ, cum iudicibus clauduntur in conclaui Aduocatores eorumq; scribæ, præterea nullus. Aduocatores primũ de puniendo reo ad iudices referunt, sententiasq; rogant, an puniendus uideatur, nulla tamẽ adhuc cõstituta certa pœna, quẽ morem Athenienses ferè seruabant. Athenis

namq;

namq; iudices sententias duplices fere bant, primas an reum absoluerent aut condemnarent. secunda deinde, si prio re condemnaretur, pœna constitueba tur, ut ex Apologia Socratis apud Pla tonem perspicue intueri licet. Cõsimi-li iudiciorũ ordine & propè pari mos utitur ratione. Refertur igitur primũ ab Aduocatoribus, de condemnando reo iudices in suffragia eunt. omnia namq; consilia apud Venetos res om-nes suffragijs decernunt. tres urnę de-feruntur, quarũ una reus condemnat̃, altera absoluit̃ penitus absq; mulcta, tertia colliguntur suffragia eorum qui bus nondum liquet utrum sit statuen-dum. Prima urna qua cõdemnat̃ reus albi coloris est, secunda qua absolui-tur uiridis, tertia rubei. unusquisq; iudi cum, siue causa disceptantibus XL ui-ris (ut plerunq;) agatur: siue senatus consulatur, quod raro accidit, in gra-uioribusq; causis tantum fieri solet: si-ue ad magnum consilium ab Aduoca toribus relatum sit, quod rarissime ac-cidit, grauissimisq; in causis fieri cõsue-

uit

uit, clàm, ne quis uideatur, ſuffragium ſuum dimittit, ſeu pilulam linteam in eam urnam, quam maluerit. Poſtea à præfectis conſilij ſuffragia numerantur. Quòd ſi plures dimidijs reum abſoluerint, confeſtim pronunciatur abſolutus: eſtq; Aduocatorum rogatio repudiata. ſin uero plures dimidijs damnauerint, ilico pronunciant damnatũ. At ſi neutri dimidium excedant, puta quòd multi ſint iudicum quibus nondum liqueat, pronunciant reum comperendinatum fuiſſe, iudicesq; cauſam amplius diſcuti uelle. ſi abſoluitur, nihil amplius negocij habet, ſed ueſtigio liber dimittitur. ſi comperendinatur, iudicibus & reo dies ſtatuitur, qua denuo cauſa Aduocatoribus accuſantibus patronisq; obiecta crimina diluentibus agatur. Poſt dictam & peroratam cauſam iudicum ſuffragia repetuntur. Quòd ſi ex numero ſuffragiorum, qui in neutram uenerant partem dimidiũ ſummæ non excedant, nihilq; decretum ſit, iterum pronunciãt reum comperendinatũ, & tertio conſilium

dicitur. Cõstituta die, qua tertio quoq; causa eodem modo repetatur, demum in suffragia itur, nec tamen amplius ratio ulla eorũ habetur, quibus nondum liqueat. Idcirco nisi paria fuerint suffragia, necesse est reum uel damnari uel absolui. si absoluatur, iam dici nihil amplius ei negocij esse. sin uero pronunciatur damnatus, decernit quanã pœna in eum sit animaduertendum. de genere pœnæ referũt, tum Aduocatores, tum præfecti collegio iudicum. mos tamen est, ut Aduocatores eam pœnam proponant, quæ pro genere criminis uideatur acerbissima. etenim huius magistratus officium est, ut ad seueritatem inclinet. Alij leuiores pœnas proponere consueuerunt, nisi crimen fuerit adeò atrox ut clemẽtiæ nullus sit locus, seu Aduocatores lenius egerint quàm eum magistratum deceat. propositis omnium sententijs eodem fermè modo decernitur pœna qua reus ille sit afficiendus, quo suprà diximus senatusconsultũ fieri solere ubi præconsultorum sententiæ uariant, quam rationẽ si hoc

in lo-

in loco repere uellem, importuneq; tedio afficere lectorem, merito ineptus haberi possem. hoc tamen dixisse satis est, eam sententiam iudicum pronunciari, quæ reiectis alijs plura dimidijs suffragia tulerit. Hoc in loco mihi uide or non ab re facturus, si bina instituta annotauero prudentissime à maioribus nobis tradita. Primum est quòd nullius rei seu iudicij quempiam magistratum ne dum ciuem sine prouocatione arbitrum esse uoluerunt, sed omni in re summum ius atq; arbitrium esse consilijs seu collegijs tributum. Alterũ uero non minus utile superiori, quòd uoluere iudices non ore sententias dicere aut palàm statuere quidnã sentiant, sed clàm suffragijs discernere quod malue rint. utrumq; sanè meo iudicio prudentissime institutũ. nam quod summa authoritas nulli magistratui concessa sit, recte se habet. etenim tũ periculosum est paucis ciuibus summam cuiusq; rei concedi & committi: tum illud cauet, ne si fortè res deliberata male cesserit, ciuitas de paucis ciuibus queri posset.

Quòd uero clàm decreta iudiciaq́ fiãt non minore prudentia ſancitũ eſt. nam & iudices liberius iudicant, quòd ſi palàm ſententiam dicerent, interdum uel ambitione abducerentur ab æquitate iudicij, uel amici ac bene meriti de ſe cuius offenſionem uererentur, & quandoq́ potentioris indignationem extimeſcerent. Illud quoq́ prouiſum eſt ut quiſq́ iudicum iudicio ſuo nitatur, nec ab alterius iudicis authoritate pendeat: quod facile accidere poſſet ſi ille qui prior dixiſſet ſententiam prudentiſsimus ac ſcientiſsimus haberet. quo circa nec etiam ab excellentiſsimis philoſophis genus hoc iudiciorum omiſſum eſt. ſed ad rem redeo. Poſtquam omnis iudiciorũ ratio à nobis expoſita eſt, ad XXXX. capitalium cauſarum iudices de quibus dicendum inſtituerã reuertar. Horum collegium à ciuitate noſtra creatum eſt, ad quod Aduocatores de cauſis capitalibus referant: eoq́ deliberante ſontes puniuntur. Ideoq́ non niſi cauſis grauiſsimis, ubi etiam reipublicæ interſit in utram partem iudicium

ceſſerit

cesserit, Aduocatores senatum consulunt. Verum omnes capitales causæ ad hoc quadragintauirale collegium deferuntur: cuius sententia rata est nullusq; ab ea amplius est prouocationi locus. gerunt hi magistratum octimestrem, postquã sedecim menses expleuerint in forensibus causis iudicandis. Tria nanq; collegia in republica Veneta sunt, quodlibet ex XXXX iudicibus constat. duo forensibus causis iudicandis præfecta sunt, tertiũ de quo agitur capitalibus. hac tamen distributa ratione sunt, ut quamprimum magistratu functi sunt capitales hi iudices ipsi in ordinem redigantur, alijq; XL uiri magnis cõsilij comitijs sufficiuntur. Non tamen hi suffecti confestim ad iudicandas capitales causas accedũt, sed collegium illud XXXX uirale quod urbanis causis decernendis octimestri eo temporis spatio præfectum fuit, subit in locum capitalium qui iam defuncti sunt magistratu. his uero forẽsibus atque urbanis iudicibus tertij XXXX uiri, qui item eo octimestri interuallo

externorum cauſas iudicarunt, in eorumq; locum illi nuper ſuffecti ſubeũt. ſicq; per uices ijdẽ iudices & de forenſibus cauſis tum urbanis tũ exteris & de capitalibus decernunt, ac totũ biennium in iudicijs ijs uerſanť. Tria hæc collegia iudicum proprias habent appellationes. Primum, ad quod exteræ cauſæ deferunť, nouum nominať. Secundũ, quod urbanis præficitur, uetus dicitur. Tertiũ, quod de capite ſontium iudicat, criminale à criminibus dicitur. hi quadraginta uiri criminales nuncupati præterquam quòd in cauſis criminalibus ſiue capitalibus ſummã iudicio rum habent, admittuntur etiam in ſenatum & ius ſuffragij in eo ordine continent. Habẽt præterea triumuiros ex ſuo ordine, qui ſinguli quibuſq; binis menſibus ſorte educunť, ac per uices ſemper aſsident duci & conſiliarijs, paremq; illis autoritatem ad ſenatum referendi de quacumq; re uoluerint habent, necnon ad magnum conſilium, eo tamen modo quo ſuprà tetigi. nec abſq; ratione xxxx hi iuniores uiri ſe-

risenatoribus, qui plerunq; senes esse solent admixti sunt, ut scilicet naturalis senum frigiditas iuuenũ calore temperetur. Non tamen iuniores hi senib. numero pares sunt, sed longe pauciores, tot tamen ut aliquod caloris uestigium in senatusconsultis apparere atq; inesse queat: quod quandoq; in rebus agendis perquam necessariũ est. necnon etiã senatoria autoritate xxxx his uiris cõcessa reipublicæ administratio aliqua in parte inferioris notæ ciuibus communicata uideri potest, quales plerunq; hi sunt qui quadragintauiratum gerunt, in quo ordine populari quadam lege maiores nostri usi sunt. Nam tribus his xxxxuirûm collegijs singulis quibusque diebus quibus conueniunt certum ex ærario stipendium constitutum est. Ideoq; raro admodum diuites ciues hunc magistratum petunt, facileq; si petierint repulsam ferunt. uerum egenis ciuibus, probis tamen hominibus, facilis est ad hunc honorem accessus. Qua ratione tum inopiæ proborum ciuium aliqua in parte

consulitur: tum etiam reipublicæ admi
nistratio non tantum diuitibus & insi-
gnioribus ciuibus, quod optimatiũ est
status & paucorum potentiæ, cõmissa
est: uerum etiã aliqua in parte media-
cri tamen, ciues inferioris ordinis ad
rempublicã accessum habent: quimos
pertinet ad popularem statum. Ex his
compertum cuilibet esse potest, in om-
ni parte reipublicæ Venetæ tempera-
tionem illam apparere, quam in exor-
dio opusculi huius iampridẽ diximus:
maiores nostros plurimum studuisse,
ut scilicet popularis status ratio opti-
matiũ gubernationi permixta esset: eo
tamen temperamento adhibito, ut plu
res optimatium partes essent. satis itaq;
iam à nobis cum de Aduocatoribus
tum de xxxx uiris dictum arbitror
qui criminales iudices dicuntur: & qui
instituti sunt ut in crimina seu genere
peccati seu peccantiũ insigniora anim-
aduerterent. Nunc tempus postulat ut
de nonnullis inferioribus magistrati-
bus qui ulciscendis delictis & malefi-
ciis præsunt, minutioribus & genere

ipso

ipso peccati & personæ fortuna, pauca quædam perstringamus. Hi quoq; duplices sunt. nam quidam ius capitis habent. unus uero omnium minimus de capite iudicium ferre non potest: sed in uilissimos homines atq; meretrices animaduertit, atq; id genus hominum uel uirgis cædi iubet uel in carcerem conjici, prout quemque peccasse constiterit. Prior uero magistratus qui capitis iudiciũ ferre potest, bipartitus est. Nam non ijdem iudices quærunt de crimine & quæstioni reum adhibent ac sententiam ferunt, sed priores noctis præfecti totam prius causam reorum agitant ac scriptis mandant quæ testes dixerint quæq; uel sponte uel coacti tormentis rei confessi fuerint. Demum omnem causam ad iudices proprietatũ deferunt. Diuersus à priori hic est magistratus, hiq; sententiam ferũt, ubi de causa capitis agitur. quòd si leuius fuerit delictum ut tantum uirgis cædendus aut carcere aliquot mẽses coercendus reus esse uideatur, noctis præfecti totã causam expediunt, neq; collegium

quadragintauirale cõſulũt, ſiue cõĩcere quempiã in carcerem uoluerint, ſiue quæſtioni adhibere: ꝙ tamen Aduocatorius magiſtratus ius minime habet, uerũ opus eſt ut prius collegium conſulat, auctoritateꝙ illius decreti collegĩ nitatur. neꝙ ſine magna ratiõe hoc ita inſtitutũ fuiſſe uidetur. Nã ſi pro quolibet crimine etiã reis hominibus qui nihili ſunt cõſilium cõſulendum eſſet, incredibile negotium reipublicæ adminiſtrationi faceſſerent: ſontibus etiam uiris maior peccandi licentia tributa eſſet, maiori impunitatis ſpe propoſita. Vt ergo iudicia huiuſmodi expeditiora eſſent, Præfecti noctis etiam autoritatem qua Aduocatores priuati ſunt obtinent. Prꝙfecti noctis ſex ſunt: ſex item in minimo eo magiſtratu cui in infimos tantum homines leuibusꝙ criminibus ius eſt. Capita tribuum ciuitatis appellãtur, hi qui eum magiſtratũ gerunt: quoniã ex unaquaꝙ tribu, in ſex enim tribus tota ciuitas diuiſa eſt, tum eos præfectos noctis, tũ caput tribus eligũt: quo more etiã in cõſiliarĩjs eligen

eligendis uti solemus, quod superius à nobis minime omissum fuit. Vtriusq; preterea magistratus officium est, ut uicissim modo præfectus noctis, modo caput tribus, suam tribum circũeant ad gallicinium usq;, cum publicis stipatoribus & apparitoribus armatis, prouideãtq; ne per nocturnas tenebras quæ maiorem licentiam præstare hominibus sceleſtis solent, cuipiam fiat iniuria: néue fur clàm domum quampiam fodiat, aut ne latro ullas per uias grassetur in quenquam. In primis Venetæ urbis originib. uterq; hic magistratus magnæ æstimatiõis erat. Postmodũ ad iunctis nouis reipublicę magistratibus prout ratio temporũ & cõmoditas exigebat, horũ dignitas & autoritas est obscurata: summaq; potestate ad nouos magistratus trãslata parua quædam & uiliora negotia ueluti feces in eorũ sub sellijs residere. Hactenus de magistratibus qui capitales causas decernunt dixisse sufficiat. De forensibus in sequenti uolumine dicetur.

Libri tertij finis.

CASPARIS CON TARENI PATRICII VENE-ti, De magiſtratibus & repub-lica Venetorum, liber quartus.

OS ille in repub-lica Veneta perpe-tuus ſemper fuit ne quiſquam ma-giſtratus in maio-ribus cauſis ſum-mam autoritatem haberet: ſed ſummum illud ius collegio rũ & conſiliorũ ut uſitatius loquar eſſe uoluerunt. Ideo in forenſib. quoq; cau ſis, quæ ſummam quinquagintaquinq; nummorũ aureorũ exceſſerint, nullus magiſtratus eſt à quo non ſit prouoca-tio ad auditores urbanarum cauſarũ, quí lingua uernacula ueteres appellan tur, & ad collegia quadragintauirũ de quibus ſuprà meminimus. At ut per-ſpicue tota hæc iudiciorũ forenſium ra tio intelligat̃, ab auditoribus, qui quí-dem

dem duplices sunt, ordiemur. noui etenim siue recentes atque ueteres sunt. Veteres à uetustate nomẽ sortiti, quòd hic magistratus apud Venetos multo uetustior sit quàm alter, qui non prius in hanc rempublicã inductus est quàm continentis imperium habuerit, multis seculis post urbem conditam. Veteres hi auditores eandem ferè autoritatem obtinent in iudicijs causarum forensium quæ urbanis iudicibus disceptantibus dijudicantur, quam Aduocatores in plerisq; omnibus rebus, si qua in parte uiderentur officere legibus, intercedendi inquam. cum ergo à iudicibus urbanis contra aliquem sententia lata fuerit, licet illi ab eorum iudicio ad auditores prouocare. Causa ad eorũ subsellia deducta, & ultro citroq; agitata ab his inter quos controuersia fuerit, nisi summam excedat quinquaginta aureorum numûm, omnesq; iudices in eandem sententiam conuenerint, possunt ipsi absque quadragintauirum collegio rem decernere. quòd si inter se dissenserint, uel eorum unus autoritatem

tatẽ habet intercedendi: cauſaq́ illa apud minimũ quoddam collegiun agitatur, in quo uterq́ auditorum magiſtratus tresq́ alij iudices conueniunt: ibiq́ minores hæ cauſæ dijudicantur. Quòd ſi uniuerſa cauſa eam ſummam excedebat, ante noſtram ætatem non poterat ad Quadraginta uirũm collegium res deduci, niſi aliquis auditorum latæ ſententiæ à iudicibus interceſsiſſet, de eáque ad quadragintauiros retuliſſet. Noſtra uero tempeſtate lata lex eſt, qua conceditur illi contra quem priores iudices ſententiam pronunciauerint, ut poſt tres exactos menſes quamuis nullus auditorũ interceſſerit, poſsit diem aduerſario dicere, & ad collegium prouocare. qua lege auditorum authoritas ualde eſt imminuta, quamuis eius magiſtratus cum intercedunt nonnihil ad cauſam obtinendam ualeat. Nam neq́ tres menſes operiri oportet, eorumq́ interceſsio uelut prærogatiua iudici uideat eſſe. Si auditor interceſſerit, prioribus iudicibus diem dicit, collegiũ quadraginta uirũm adi-

tur.

tur. Ante nostram ætatem uterq; magi
stratus orabat coram collegio, senten-
tiamq; uterq; suam tuebatur. sensim ue
ro per segnitiem iudicum in desuetu-
dinem abijt, ut priores iudices quorum
sententiæ intercessum sit intersint quũ
apud quadraginta uiros causa agitaẽ,
ne dum orent: sed de eis per tabellio-
nem dicto respondent ius fieri debere.
Mos uero ille ut auditores primum re-
ferrent ad collegium de causa cui inter
cessissent, orationemq; haberẽt, ad no-
stra usq; tẽpora deductus est. Nũc uero
penitus intercidit, sed patroni tantum
eorum inter quos controuersia fuerit,
hoc munus defunguntur, tueturq; suo
rum clientum causas: quibus rebus ef-
fectum est, ut dignitas auditorij magi-
stratus, quę diu illustris erat, nostris tẽ-
poribus obscura admodum & immi-
nuta sit. Quadraginta hi urbanarũ cau
sarum iudices eundem ferè morem ser
uãt in iudicando, quẽ à iudicibus qua-
draginta capitalium causarum seruari
solere diximus. hoc tantum discri-
men est, quod in causis in quibus de ca

pite

pite agitur & fortunis reorũ, nullũ certum orandi tempus ſtatutum eſt. In his uero urbanis litibus præſcriptum eſt temporis interuallũ ultra quod orationem protendere non poſſunt: id eſt hora cum dimidia tantũ cuilibet oranti cõceſſa eſt. neq; in forenſibus ijs cauſis iudicandis uariæ referuntur ſententiæ ut eam collegium eligat quam maluerit, quemadmodũ in ſumendis pœnis à nequam hominibus fieri ſolere ſuperius dictum eſt: ſed tantũ refertur an lata prius à iudicibus ſententia cõfirmanda ſit uel potius abroganda. de abrogatione refertur, ſi auditor quis interceſſerit. q; ſi non fuerit interceſſum, ſed ſine interceſſore cauſa ad collegium fuerit deducta, præfecti collegij perorata utrinq; cauſa non de abroganda ſed de confirmanda ſententia lata referunt. Iurati iudices omnes in ſuffragia eunt. Tres itẽ urnæ deferuntur. uiridi abrogatur id de quo relatum fuerit, candida approbatur, rubea uero eis deſtinata eſt quibus nõdum liqueat, ſed uelint cauſam ampliari. nihilq; decretum habetur niſi

plures

plures quàm dimidij abrogauerint aut approbauerint. quòd si tot iudicibus nondū liqueat, ut in neutram partem iudicium factū sit, causa ampliata pronunciatur ad alterā diem, qua eadem fere repetunt. quòd si etiam eadem die iudicium pendeat, tertio cogitur collegium, causa repetitur. qua perorata utrinq; itur in suffragia, neq; amplius ulla eorum iudicum quibus nondum liqueat habet ratio. quare nisi paria fuerint suffragia, in alteram partem fit decretum, siue de abroganda siue de confirmanda sententia lata. Abrogata sententia nequaq; adimitur potestas actori, quin de eadem re iudicium repetere possit. Nihil enim abrogatione statuitur, sed tantum lata sententia antiquatur. Confirmatione uero & approbatione rata fit sententia quam priores iudices pronunciauerunt, neq; amplius prouocationi est locus, neq; iudicium repeti potest super eadem re, nisi causæ quippiā noui accedat. Atq; satis hactenus de auditoribus ueteribus dictum sit; nunc pauca de recentioribus per-

ſtringamus. Hic magiſtratus in noſtra repub. non fuit prius inſtitutus, quàm in cõtinente æſtuarijs ijſce finitima Venetum imperium extendi cœpit. Ad hos â prætorũ iudicijs prouocatio eſt, aliorum'ue magiſtratuum qui extra urbem populis qui in noſtram uenerunt ſocietatem ius dicũt. Veteres enim auditores utriſq; urbanis ſcilicet & exteris, cauſis haudquaquã ſatisfacere poterant. Quamobrẽ eam appellationẽ etiam ſortitus eſt, ut nouorum ſiue recentium diceretur. Nam poſt conſtitutam rempublicam imperiũ Venetum extendi incepit in Venetiã oram, quæ ad ueteres dominos ueluti quodam poſtliminio uolens ac libens redijt. Etenim ut in exordio operis oſtendimus, nobiliſsimi quiq; prouinciæ Venetæ barbarorum impetum Italiæq; totius deuaſtationem fugiẽtes ſe in noſtra æſtuaria receperunt, urbemq; hanc opulentiſsimam condidere. Cui etiam nomen Venetiæ indiderunt multitudinis numero: ut ſignificatum poſteris eſſet eò omnium ciuitatum Venetiæ regio-

nis

nis nobilitatis florem conueniſſe. Igitur cum breui imperium Venetum creuiſſet in immenſum, unus haudquaquam magiſtratus urbanis & exteris cauſis ſatis eſſe poterat. Iccirco nouus hic inſtitutus eſt, nouumq; quadragintauirale collegium. Prouocatio quoq;, quæ ab aliis qui extra ius dicunt fit, ad horum ſubſellia defertur. atq; hoc demum collegio diſceptante omnes eiuſmodi cauſæ diſcernuntur. eadem in omnibus ratio eſt, parq; modus huius magiſtratus & collegij, quem modo ab auditoribus ueteribus & collegio quadragintauirali urbanarum cauſarum iudice ſeruari ſolere docuimus. illud tantum ius auditoribus recentibus additum eſt, quòd in cauſis quæ ſummam quadraginta nummorum aureorum non exceſſerint latam ſententiam, à qua ad eos ſit prouocatum, moderari queunt, eiusq; partem ſi ita ipſis uideatur, abrogare, partem uero comprobare, dum modo omnes in eandem ſententiam conueniant, quod ea de cauſa inſtitutum, ne exteris homi-

nibus & aduenis, quorum præcipue ra
tionē haberi debere ſummi philoſophi
tradidere, maius negocium fieret, ſed
ſine magno rei familiaris diſpendio li-
tium exitum inuenirent. Hoc iure ue-
teres priuati ſunt. neceſſe enim illis eſt
ut aut totam ſententiam approbēt, uel
totam reſcindant, atq; irritam faciant.
Sic noui hi in intercedendo reliquis o-
miſsis parti intercedere poſſunt: at ue-
teres contrà. aut enim toti intercedunt,
aut uniuerſam integrā dimittūt. Hocq;
pacto exterorum lites breuiori ſpacio
dirimūtur, quàm cauſæ urbanę: quam-
uis patronorū & iuriſconſultorum uer
ſutia, quæ nihil etiam contra fas inta-
ctum relinquit, in immenſum quæ uis
lites protrahūtur. quod ubiq; gentium
fieri ſolet, ubi nō temere ſed ſtatuto or
dine iudicia fiunt. Explicata ferè à no-
bis eſt iudiciorū ratio, ſupereſt ut pau-
cis perſtringamus eos magiſtratus qui
primi in cauſis urbanis ius dicūt, à qui-
bus ad ueteres auditores prouocatio-
nes fiunt & ad collegium quadraginta
uirorum: quorū iudicum ſex ſunt ſub-
ſellia

sellia pro qualitate causarum & personarum distributa. nam aut lites sunt de mercatura rebusq; ad negociatores spectantibus, uel de ædibus & fundis quæ intra æstuaria fuerint: aut de possessionibus & agris quæ in terra continenti sunt, aut de quibuslibet alijs cõtractib. stipulationibusq;: personæq; quę lites inter se conferũt, aut sunt ciues, aut exteri, seu ciues cũ exteris: uel demũ cũ pupillis res habeẽt, aut agunt uiduæ fœminæ post obitũ mariti de dotibus recuperandis. ne ergo inter tot diuersorum generum iudicia turbatio esset, néue aliud alij impedimentum afferret, plura institituta fuere iudicum subsellia: ita ut quantum fieri posset unusquisq; pro ratione negocij & litis suos iudices cognosceret. quæ enim lites ad ædes siue fundos intra fines Venetiarũ positos, id est in æstuarijs existẽtes pertinẽt, hæ omnes à iudicibus qui proprietatum nominantur dijudicantur: quos etiam adeunt uiduæ dotes ab hæredibus maritorum defunctorum repetere uolentes. Hancq; appellationem habuerunt

quòd maiores nostri ea tantum ciuium suorum propria existimarunt, quæ in æstuarijs essent posita, utpote quæ ad alienos dominos non facile transferri possent. Cætera uero in continenti existentia, siue agri siue domus fuissent, utpote quę facile inuito à dominis possent auferri, iniuriæq; magis expositæ essent, mobilia dici uoluerunt. quòd si de fundis continentis oræ controuersia fuerit, iudices procuratorum sunt adeũdi. ijsdem iudicibus cum pupillis qui adhuc tutores habeant, contendas oportet. qua de re ij iudices id quoque nomen obtinuerunt. nam apud Venetos curatores & tutores, & procuratores apellari consueuerũt. Si item lis de mercimonijs interciderit & ad mercaturam spectet, subsellia iudicũ adeuntur qui ex ea re iudices seu cõsules mercatorum nominantur. hi maiori quodam compendio iudicant quàm alij forenses magistratus: quod ea ratione institutum est, ne longioribus litibus impedimentum moráue fieret negocijs mercatorum, quæ assiduam quandam

operam

operam exigũt. At si inter exteros homines lis fuerit, uel quispiam ciuiũ hospiti diem dixerit, opus est accedat iudices qui ab aduenis nomen habent. Cæteræ uero omnes causæ contractus ac stipulati, ex quibus quispiam ab alie no sibi aliquid deberi contendat, idq; iudicio petat, iudicibus ueniũt qui petitionum nuncupantur: hiq; prætoris urbani uicem gerunt. Sunt præterea minimæ quædam, quibus dijudicandis præfecti sunt iudices mobiliũ dicti. Est & præter hos magistratus alius, qui si quid inuentum fuerit aut olim recondi tum aut nuper amissum, an ad ærariũ aut ad priuatum quempiã, an uero ad eum qui reperit, res ea pertineat decernit, omnesq; huiusmodi controuersias dijudicat. Expedita uniuersa iudiciorũ ratione ad eos magistratus accedamus qui ærarij curam habent, quibus'ue pecuniæ publicæ administratio cõmissa est. Hi fortasse alicui plures esse uidebuntur quàm par sit, paucioribusq; uniuersæ rei pecuniarię satisfieri posse. Verum hac in parte id est animaduerten-

dum patres nostros summam diligentiam adhibuisse ne in administrandis pecuniis publicis aliqua fraus fieret. arbitrati enim sunt ex ærario ueluti alimentum uniuersis reipublicę partibus suppeditari, quo deficiente seu imminuto deficere quoq; rempublicam aut minui opus esse. Quocirca legē etiam fecerunt, qua sancitum est, ut si quis ciuis peculatus damnatus fuerit, perpetua ignominiæ nota singulo quoq; anno repetita inureret. Maiori enim consilio coacto in concione ciuium omnium statuta die ab Aduocatore omnes illo crimine damnati pronunciantur: *ut qui tantum scelus ausi sunt, perpetuæ ignominiæ pœnas luāt.* Sed ne ab instituto longius digrediamur, magistratus qui ærariq; curam habent, duorum ueluti generum sunt. Qua ratione publicæ quoq; pecuniæ diuisæ sunt. nā uel ex publicis uel ex uectigalibus in ærarium conferunt: uel interdum cum reditus reipublicæ impensis minime satisfacere posse uideatur, à ciuibus pro cuiusq; censu soluitur. sæpe etenim id

necessum

neceſſum mari aut terra ingruentibus bellis, quibus ciuitas noſtra frequenter uexari ſolet: ſiue Turcis in noſtram ditionem irruentibus, quorũ impetum non ſine maximo detrimento complures annos ſuſtinuimus, acerbiſsimũq; hoſtẽ in uniuerſam rempublicam Chriſtianã ſequentẽ continuimus. Aut Chriſtianis principibus quibus imperij Veneti amplitudo quandoq; officit, in perniciem noſtrã conſpirantibus: ut anno ab hinc XV. cum omnes ferè Chriſtiani principes inito inter ſe fœdere in exitium imperij noſtri conſpiraſſent, ſed dijs bene iuuantibus impetus omnium ſunt repreſsi, resq; pene collapſa in integrum reſtituta eſt. Duplex ergo cum ſit publicæ pecuniæ genus, duplices quoque magiſtratus ei rei ſunt præfecti. Quidam enim pecuniæ ex cenſu ciuium collatæ præficiuntur: alij uero reditibus & uectigalibus reipublicæ. Vectigalia quidem exiguntur ab his quæ exportãtur ex urbe, aut in urbẽ importantur. Quædã uero ex ciuitatib. quæ in ſocietatem imperij Veneti ſunt ad-

scitę. Vrbana uectigalia cũ propter maximam mercium copiam mercatorũq; conuentum, tum ob ingentem hominum multitudinem qui hãc ciuitatem incolunt, maiora sunt quàm quæ sibi quis persuaserit. mercium rerũq; urbanarum uaria sunt genera: ideo diuersi quoq; magistratus sunt instituti, prout scilicet commodum uisum fuit his qui locandis exigendis hisce uectigalibus præsunt: quos si singulatim enumerarẽ fastidio potius afficerẽ quàm quòd ex ea narratione aliquid uoluptatis essem allaturus. Illos etiã magistratus qui tẽporarij sunt, quòd interdum tẽporum ratio ita poscere uideatur, prætermittẽdos esse duco. In summa, horum omnium magistratuũ officium illud est, ut caueant ne per dolum aliquid pecunię publicæ auertatur, aut per inertiam pereat. Ipsi quoq; omnes controuersias quæ ad id genus pecuniæ pertinẽt dijudicant. Omnis uero ea pecunia quę ab ijsce magistratibus exigitur, continuo ad gubernatores redituũ publicorum defertur. Eam namq; appellationem is

magistra

magistratus obtinuit qui huic summæ præfectus est. Sed quoniam ea cura magni est momenti, nõ nisi insignioribus ciuibus deferri solet. qui ut libẽtius hoc munus sibi peterent, aut ne demandatum reiicerent, magnũ emolumentum oneri alioquin graui adiunctum est, authoritas quoq; non contemnenda. hi etenim apparitores, uiatores, lictores, omneq; id genus ministrorum reipublicæ creant, quibus omnibus ex ære publico stipendium persoluitur. id uero quod reliquum fuerit, ad quæstores urbanos defertur. ad quem magistratum omnis tandẽ summa æris publici, à quibuscunq; quæstoribus extiterit siue magistratibus allata, qui seu extra urbem seu in urbe pecuniæ publicæ exigendæ curam habent, peruenit. at urbani hi quæstores eam pecuniã ex senatus decreto in usus publicos impendunt, in codicibúsue suis & acceptum referunt & expensum ferunt. quod munus quũ operosum laboris nõ exigui sit, ideo ciuibus iunioribus committi consueuit: qui tamẽ tũ nobilitate generis, tum in

nocen

nocentia uitæ clari sunt, nescilicet æs publicum quapiam ratione in rem priuatam auertatur. Quocirca urbanis quæstoribus ius senatoriũ datum, propemodum idem quod legitimi senatores habent. pecunia uero quæ in republicæ angustijs ex censu à ciuibus confertur, quanuis tandem ad quæstores urbanos omnis confluat, proprios tamen quosdam magistratus habet. Interdum enim de conferenda ex censu pecunia ea ratione fit senatusconsultum, ut nulla mentio habeaſ neq; de restituendo eo ære, nec de aliquo emolumento ciuibus erogando, qui ex sua re priuata eam pecuniã cõtulerint. Quod tamen raro admodũ fieri consueuit: nam plerunq;, imò potius semper nisi res cõtrarium postulet, senatus reipublicę ita consultũ esse uult, ut priuatorũ res non negligantur. Promulgato igitur senatusconsulto de pecunia ex censu conferẽda facto, temporeq; quod commodum fuerit uisum cõstituto, unusquisque ciuium infra id tempus eam summam persoluit, quã ex censu debet. exigunt

gunt autem gubernatores redituũ deferũtq; ad quæstores urbanos. sępenumero tamen ea ratione fit senatusconsultum de pecunia ex censu conferenda, ut post certum temporis spatium ciuibus qui eam persoluerint restitui incipiat aliquo etiam emolumẽto adiuncto: certaq; in eam rem delegantur uectigalia. Interdum uero senatusconsultum de collatitia ex censu pecunia ante nostram tẽpestatem fieri solebat, ut de reddenda nulla fieret mentio, neq; ullũ certum tempus constitueretur nisi id commodum reipublicę fuisset. sed magistratus qui præfectus mutuis dicebatur, quod nomen adhuc quoq; retinet, acceptam ab uno quoq; ciuiũ eam uim pecuniæ in codices referebat: interimq; donec restitueretur singulo quoq; anno quinque nummi aurei pro centum collatis, ueluti in uicem reditus priuatis ciuibus creditorib. numerabantur: in quem usum multa uectigalia erant quoq; designata. Qua ratione priscis bellis facilis erat pecuniæ exactio, quæ ex censu soluebatur. neq; iniquum existimari

ſtimari debet, ciuibus qui rem familia-
rem in temporibus reipublicæ neceſſa
riis cõſumpſerant, aut magna ex parte
imminuerant, uiciſsim aliquid impen-
di ex reditibus publicis. Nam quemad
modũ partes totius incolumitati con-
ſulere debent, ita natura comparatum
eſt ut totum curã habeat ne partes ma-
gnum incommodum patiãtur, ſed pro
uiribus prouideat ut incolumes perdu
rent, alimentaq; impartiantur quibus
reficiantur & cõſeruentur. Verum no-
ſtra ætate hoc æs alienum reipublicæ
adeò ingẽs erat, ut in eo emolumento
quod diximus ciuibus erogari, trecen-
ta ferè nummorum aureorum milia
ſingulis quibuſq; annis expenderen-
tur. Quorum ſolutio proximis annis
propter anguſtiſsima reipublicæ tem-
pora quum intermiſſa fuiſſet, tandem
quarto ab hinc anno, referentibus Do
minico Triuiſano ſenatore ampliſſimo
atq; Andrea Gritto, cuius ducis auſpi-
ciis nunc reſpublica Veneta regitur, ſa
pientiſsimo atq; integerrimo ſenatore,
factũ eſt ſenatuſcõſultum ut nulla am-

plius

plius emolumenti erogandi mentio fie ret, neq; in codicibus publicis post id tempus id æris acceptum à ciuibus referretur. uerum ne omnino à republica fraudati esse uiderentur capitis restitutione, necnõ etiã emolumenti quod ad eam diem eis debebatur, cum multa uectigalia designata sunt, tum reipublicæ possessiones omnes in agro Rodigiensi positæ sunt distributæ. Cuius muneris maxima parte nos functi sumus, qui illo tempore magistratum gerebamus, qui ante nostra tẽpora institutus præcipue fuerat ad huiusmodi æs alienum reipulicæ minuendum, aut si fieri posset extinguendum: de quo pauca infrà dicemus. sicq; magna pars ingentis ac incredibilis fere publici æris alieni imminuta fuit, necnõ priuatorum ciuium facultatibus satis commode consultum: ita tamẽ ut prior ac potior semper fuerit reipub. ratio, q̃ priuati commodi. quod institutum à maioribus nostris ad hæc usq; tẽpora per manus deductum est. Vt ergo redeamus unde diuertit oratio, Præfecti mutuis eã pecuniam

niam exigunt, quæ à priuatis ex censu in reipublicæ usus necessarios conferuntur: acceptāq; in suos codices referunt, ac demum urbanis quæstoribus numerant. Idemq; præfecti curā habent exigēdi à quæstoribus urbanis eam summam pecuniæ, quæ quotannis erogari solebat, in uicem reditus ciuibus priuatis: eamq; & acceptam & expensam in suos codices referebant. Pecunia uero quæ ea lege ex senatusconsulto erogatur à priuatis ut certo tempore restitui debeat, à proprio quodam magistratu & exigi & restitui solebat. nūc uniuersum hoc munus gubernatoribus reditus demādatū est. Alius etiā præter hos est, pecuniarius magistratus minime prętereundus, qui in eam curā incūbit, ut ciues ærarios factos, eosq; qui constitutā nō persoluerunt pecuniā quam ex censu debent, inuestiget: eorūq; bona publicet, & tandem sub hasta uendat. Nonnulli sunt præterea magistratus pecuniarij, à quib. ærarij ciues inuestigantur: rationesq; in publicis codicibus priuatorum ac reipublicæ diligenter

genter inſpiciuntur, ne qua fraus publicis reditibus atq; ærario fieri poſsit: quos conſulto prætereundos exiſtimo ne tædio lectorem afficiam. neq; enim momenti quippiã habẽt ad eam quam potiſsimum hoc opere mihi exponendam reipublicæ gubernationem inſtituí. Præter hos magiſtratus nonnulli etiam ſunt qui multum faciunt ad ciuitatis cõmodum, & ad bene beateq; uiuendũ, ideoq; à nobis minime ſunt omittendi. Primi nobis ſe offerunt monetæ aureæ argenteæq; præſides, qua maxime ciuium commercia continentur cum externis hominibus, & ſecum uiciſsim. Dein annonæ triticeæ præfecti, itemq; ſalubritati Venetæ ciuitatis præfecti, ſine quibus uita cõſtare non poteſt. Necnon etiã præſides ampliſsimi naualis. Aediles quoq; qui uiarum pontium & huiuſmodi rerũ reſarciendarum curam habent perquam neceſſariꝰ ſunt. Ac demum ampliſsimus magiſtratus, quem procuratorum Veneti appellant, maxime eſt ciuitati noſtræ oportunus. De præfectis monetę nihil

est quod amplius dicamus, nisi quòd eius magistratus interest prouidere, ne argentum aut aurum imperfectius aut impurius quàm id quod lex statuit cudi debere, aliquo pacto cudatur: néue excusi nũmi pondere sint minores quàm lex iubeat. quod sanctissime apud nos obseruatum fuit. quamobrem maximo in precio apud omnes nationes barbaras, nedum apud Christianos, Veneti nummi semper fuerunt, hodieq; sunt. Cæteri nanq; principes plerique omnes impurius aliquanto argentum & aurum cuderũt, ut facilius impensis satisfacere possent. At nostri constantissime semper hac in parte dignitatem à maioribus acceptam retinuere. Magistratus uero, qui annonæ triticeæ præfectus est, ciuitati Venetæ perquam necessarius est. etenim cum nulla propè frumenti uis ex agro Veneto colligat, quod omni ex parte urbs æstuarijs amplissimis ambiatur, ciuitasq; populosissima existat, opus est rei frumẽtariæ magnam haberi curam: ne quando populus, cuius commodo maiores nostri

maxi-

maxime consultum esse uoluerunt, rei frumentariæ inopia laboret, nimiáque annonę charitate prematur. Idcirco rei frumentariæ tres sunt præfecti, q XVI mensibus magistratum gerunt. horum est officium prouidere ne ciuitas unq̃ frumẽti inopia laboret. quæ si quando timeatur, Principem Sapientumq̃ collegium adeunt, recq̃ inter eos discussa decernunt quæ ad frumenti copiã comparandã præcipua esse uideant. Quandoq̃ etiam solet certa merces ex ærario his constitui, qui ex longinquioribus prouincijs frumentum Venetias aduexerint. Interdum ære publico triticum mercãtur à negociatoribus, qui polliceantur certam uim frumenti statuto tempore ex destinatis etiam prouincijs se Venetias delaturos: quod nisi præstent, pecuniaria mulcta taxantur. Emitq̃ respub. magno precio, & uili uendit, ut commodo populi ac inopiæ consulatur: qua in re magnã interdum iacturam ærarium facit. De re frumentaria præterea plurimæ sunt leges pulcherrimaq̃ institutæ: quæ si in præ-

sentia recensserem, longius quàm par sit ab instituto digrederer. sequit magistratus is, cui urbis salubritas est curæ. huius præcipuum munus est, prouidere ne aliquo pacto ex cõtagione tabes serpat in ciuitatem. quod si clàm quandoq; obrepserit, ut nonnunq; solet accidere, sedulo operam dat, ne longius uagetur. Qua de re ædes publicæ amplissimæ sunt ædificatæ in æstuarijs, interuallo triũ milium passuũ ab urbe: quibus finitimi sunt horti pulchre constituti: in quas si quis ex plebe eo morbo ægrotare cœperit, confestim cum tota familia defertur. hi uero qui cum ægro tante consuetudinem aliquam habuerant, opus est ne alios inficiant, ut propríos lares deserant, cõcedantq; ad alias ædes publicas, itidem extra urbem in eum usum conditas, regione à prioribus longe diuersa. ibiq; XXXX dies detinentur, in quibus si sani perstiterint, ciuitati ac domesticis laribus restituuntur. supellectilis quoq; magna cura habetur, ne eius contagione quispiã inficiatur. hic quoq; magistratus proui

det

det ne quid putridum aut quod incolu
mitati ciuitatis officere possit uendaẽ,
demum id sedulo curat ut quàm salu-
berrime Venetijs agaẽ. Nam non mul-
to ante nostrã tempestatem hoc præfe
ctorum genus institutum fuit: & cum
sæpius antea ciuitas pestilentia labo-
rasset, adeò ut plericꝫ omnes quandocꝫ
proprios deseruissent lares ob ingruen
tem uim tabis, & in continentem pro-
ximam secessissent: nunc̃ꝫ tamen post-
quam hæc cura nouo huic magistratui
demandata est diuino munere fauente
ciuitas hæc huiusmodi hoc morbo ue-
xata est grauius: licet interdum quod
in magna hominum undicꝫ cõuenien-
tium frequentia euitari nõ potuit, non-
nullæ domus fuerint infectę: cura uero
huius magistratus atcꝫ ope à deo præ-
stita malum latius uagari non potuit.
Nunc de amplissimi nauales præfectis
dicendum est: quod certè non solũ Ve-
netæ urbi magno est ornamento, sed
etiã uniuersæ Italiæ, reipublicæ nostrę
non mediocrem dignitatem affert. im-
mensum nãcꝫ opus est & admiratione

dignissimum. Nam in ea urbis regione quæ præ alijs mari uicina est, & præterea maxime commoda, nauale ædificatum est, ac in tres sinus, seu si malueris recessus excauatũ: intra quos mare recipitur unico tantum ostio tam lato ut etiam satis sit ad maximas triremes capiundas. Munitũ est ostiũ duabus turribus ex utraq; parte, suntq; hæ ponte sublicio iunctæ portisq; cãcellatis, quę nunquam reserantur nisi quum opus sit triremes educere, seu in nauale induc ere. nullibi etiã aditus ad interiora nauales patet, præterquam hoc uno ostio ingredientibus. Primus sinus occurrit omnium minimus, amplus tamen. hic undiq; circum tecta habet in fornicis modum ædificata cõtignationibus ac tegulis tecta. sub hæc triremes è mari subducuntur, ibiq; ab omni uentorum ac pluuiarum iniuria tutæ perdurant, quoad illis uti libeat. ea ratione multos annos incolumes & illæsę permanent. Nouas item sub eisdẽ tectis ædificant, atq; ueteres subducunt & resarciunt: magnum sanè opus, quod & maxima

orna-

ornamento sit, & ad nauium fabricam utilissimũ. Post hunc sinũ alius est interior amplissimus, circũ omni ex parte eiusmodi tectis ut dixi instructus: nec ullum ex eis inspicias triremibus uacuum, sed binis si tecta fuerint latiora, aut singulis si angustiora. Tertius uero nõ minor secundo, paulo ante nostram ætatem superioribus additus fuit, circũseptusq; mœnibus pulcherrimis. in eo autẽ plura sunt tecta ædificata, quamuis non sint omni adhuc ex parte perfecta: uerum summa cum diligentia opera datur ut ei fabricæ extrema impo natur manus. Tres hi recessus inuicem sunt peruij, ac unico muro ambiuntur nonnullis turribus distincto, in quibus uigiles noctu excubias agunt, ne quid detrimẽti tam insigne opus ui ignis iniecti, seu dolo facinorosi cuiuspiã, seu casu quopiã, ut interdũ euenire solet, accipiat. Intraq; mœnia tabernæ sunt armamentorũ amplissimæ, uniuersæq; nauticæ supellectilis: ac fabri cuiuscunque generis quod ad rem naualẽ pertineat, suas officinas ibidem habent. Ibi

etiam æs funditur ad tormenta confici enda: magna quoq; ibidem fit tormentarij puluerís copía, adeò ut nihil quidem quod ad rem nauticã faciat, in eo nauali deſiderari queat. ibidem uídere licet ingentẽ fabrorũ multitudínem, quorũ quiſq; ſuo munere fungíť. Sunt præterea nõnulla atria bene ampla in quíbus ingens armorum uis, tormẽtorum ſcílicet ac telorum ad uſus bellicos ſeruatur: nec non magna uelorum copía, remorum, armamentorumq; omnium, in ſuis quæq; cellís condita: ut cũ ſenatus armandam claſſem decreuerít, omnia in promptu ſint, quæ ad eã rem requiruntur. His rebus officíjsq; omnibus, de quo dicere inſtítueram, præfectus eſt: omniaq; prouidet curatq; quæ in uſum naualis fuerint. hic ſeligit fabros cum lignarios tum etiam ærarios cæterosq; opifices qui ad opus faciundum admitti debeant: diligentẽ quoq; impendit operam ne quíſpíam officio ſuo deſit. Huic magiſtratui numeratur pecunía ex ærario in uſus naualis, non prius tamen quàm collegiũ conſulat,

ac ra-

ac rationes à patribus illis uideantur. Apud maiores nostros, penes quos res maritimæ magno in precio erant, hic honos magnus habebatur: tẽporibus tamen nostris magistratus huius dignitas est imminuta, ac penè intercidit. quo fit ut si quando opus fuerit in ea re opera diligentiori, alios senatores primæ existimationis ciues nauali senatus præficiat, qui ius in priores habeant, eisq; ueluti ministris utãtur. Postremo loco sunt à nobis recensendi diui Marci procuratores, amplissimus omnium prẽter ducẽ magistratus: quippe qui præfinitum tempus nõ habeat, sed cum uita perduret. Huic honori cõiuncta est perpetua senatorij ordinis dignitas, ac ius suffragij ferendi æquum cum legitimis senatoribus. illud etiam præ alijs omnibus magistratibus obtinuerunt. nam cum cęteris nõ cedatur à senioribus ciuibus certisq; locis certisq; subsellijs, procuratoribus ubique idem honor præstatur. quocunq; enim loco sedeatur, illis semper ceditur, dignioriq; sede semper honestantur: non

ſecus ac ſi quouis in loco magiſtratus eorum munere fungerentur. horũ officium eſt tutelam pupillorũ habere, quibus minori ætate exiſtẽtibus nullus defuncto parente ex teſtamento tutor eſt inſtitutus. ueluti ergo publici quidam tutores à republica ſunt inſtituti. hi diui Marci procuratores dicuntur, quod munus cum egregiã fidem ac ſanctitatem uitæ præcipuã exigat, hi ciues huic officio delegantur qui iam publicis ferè omnibus muneribus defuncti ſint, ſpectatæq; ſunt probitatis: in quo uerſantes tanquam milites emeriti perpetuam obtinent reipublicæ adminiſtrationẽ. Priſcis temporibus tam magna fuit nõ tantum Venetijs, uerum etiam apud exteras nationes, huius magiſtratus exiſtimatio, ut plericq; exteri homines, nedũ indigenæ, teſtamẽto ſuo hoſce procuratores hæredum ſuorum tutores ac totius rei domeſticæ curatores inſtituerint: quorum fidei magna pecuniæ uis pauperibus eroganda cõmiſſa fuerit. adeo ut noſtris quoq; temporibus ingentes opes ab hoc magiſtratu

admi-

administrentur, ac pro eorum arbitrio in usum pauperum distribuantur. hic magistratus initio institutus fuit, ne hæreditates ciuium qui pro tuenda seu etiam pro amplificanda republica apud exteras nationes excederent, aut studio rei familiaris negocijs ac mercimoniijs occupati peregre morerentur, nullóue condito testamento, per fraudem quampiam ab hæredibus pupillis auerterentur. Qua de causa effectum est, ut ciuibus illis publice ea cura demandata sit, de quorum probitate omnibus cõpertum sit. Principio tres fuere. deinde aucta ciuitate tres alij additi, hac tamen ratiõe distributi, ut ueteres pupillorum, qui citra riuũ magnũ qui urbem mediam interfluit habitant, curam habeant: tres item curent eos qui ultra riuum magnũ proprios habent lares: ut dimidiam urbem alteri, item dimidiam posteriores curent. Tres uero præter hos patroni sunt amplissimi atq; augustissimi templi, quod diuo Marco Euãgelistæ dicatum est, sub cuius numine Veneta respublica bonis legib. aucta est, di-

est, ditionēq; imperij creuit. ab his postremis tanquam à nobilioribus nomē in omnes deductum est, ut diui Marci procuratores appellētur. De structura huius templi impræsentiarū nihil dicere cōstituí, deq; marmorū copia, columnarū frequētia, ex porphyrítide ac prasío lapíde opere tessellato atq; aurato, quo tamen laquearia fornicesq; omnes tēpli cōfecti sunt, tum demū pauimentum uniuersum stratū: cum multi mortalium fereq; omnes fama perceperint. Tēpli huius instaurationi si qua in parte labascit, necnon sacerdotibus ipsius, hi tres procuratores præsunt, ac prouident ut pro ciuitatis dignitate & illustrissimi patroni nostri Marci Euāgelistæ Deus Optimus in eo templo pie colatur. hi sunt qui præter cæteros magistratus meo iudicio per quā necessarij uideri debēt ad bene beateq; uiuendū. Nam & monetæ cudendæ cura nequaquam negligenda est, qua omniū commercia ciuiū contineant, annonæq; triticeæ copia sedulo procuranda est: nec minor bonæ ualetudinis ciuium cura

haben

habenda est: minimeq; prætereũda fuit uiarum ac pontiũ idq; genus ædificiorum instauratio. hæc cõmunia cuiq; ciuitati. ista uero ad Venetias magis attinent, rei scilicet maritimæ procuratio ac pupillorum tutela, cum multi ciuiũ cum propter publica negocia, tum propter mercaturæ industriã peregre profecti diem obeant. idcreo magistratus qui his muneribus incumbant publice instituti sunt, ut nulla in parte maiores nostri cõmuni bono defuisse uideãtur, si quis diligẽter omnem huius reipublicæ institutionem animaduertat.

Libri quarti finis.

CASPARIS CON

TARENI PATRICII VENE-ti, De magistratibus, & repub-lica Venetorum, liber quintus.

POSTQVAM omnis ferè ratio gubernatiõis rei publicæ à nobis exposita est, omnesq; recẽsiti magistratus urbani, non importunam alienámue ab opere rem facturus uidebor, si de magistratibus exteris uerba fecero: his scilicet quibus ciuitates quæ in nostram uenerunt societatem regi soleãt: necnon de militaribus imperijs, ac demum de muneribus aliorum ciuiũ, qui patricij non sunt ordinis. His etenim expositis extrema manus commode operi instituto imposita uideri poterit. Insigniori-bus ciuitatibus quæ sub ditione nostra sunt, quatuor magistratus præficiũtur:

prætor

prætor unus omnibus ius dicit, & forenses lites dijudicat, atq; in fontes animaduertit. habet is prætor in iudicijs proferendis assessores homines iurisperitos, quorũ cõsilio utitur. & licet apud prætorem sit omnis autoritas, præter hunc est præfectus, qui militibus præest, qui urbem uel agros urbis coluerint. in hos nullum est ius prætoris, sed præfectus tantum ius in eos habet. Arcis præterea, mœnium portarumq; cura præfecto est demandata, necnon uectigalium, ac redituum omniũ, tum urbis, tum agri totius. præter hos quæstor unus, aut duo. hic magistratus pecuniam publicam administrat, impendit & exigit, habetq; codices rationum publicarum. nihil tamen ferè agit nisi ex mandato præfecti. ac interdum utriusq;, scilicet prætoris & præfecti. Ea enim ratio administrãdæ utilior uisa est, quàm si penes eundem esset & authoritas & administratio ærarij. facilius namq; liceret per fraudem ærarium peculari. id uero pecuniæ quod reliquũ fuerit ab impensis, Venetias ad quæsto

res

res urbanos defertur, ad quos ut suprà diximus undiq; pecuniæ publicæ conferuntur. Quartus qui in unaquaq; urbium magistratũ obtineat, est custos arciũ. alibi unus, alibi plures sunt: hiq; militibus præsidẽt qui arcẽ tuẽtur, curãq; habent armorũ, cõmeatus, & tormentorum quæ ad munitionẽ cõtra hostes in arce posita sunt. Neq; tamen custos ita præest arci, quin præfecti imperio subiectus sit: cui quidem omne ius omnisq; potestas in huius generis rebus curandis tributũ est. In minoribus uero ciuitatibus seu urbibus nullus est prefectus, sed prætor utriusque partes agit. in oppidis quoq; quæ in agris maiorũ urbium frequẽtia sunt, solus prætor est qui ius oppidanis dicat, nullus præterea magistratus. nam quæstores ac prefecti principum urbium in uniuerso quoque agro ius obtinent. A prætoribus omnibus ad auditores nouos prouocatio est. Aduocatores etiam quandoq; sententijs capitalibus prætorũ intercedere solebant: sed quoniã usu plerũq; euenire solitũ erat ut iudicia ptra-

heren

herentur, neq; fontes criminũ ac scelerum pœnas darẽt: lata fuit lex à decemuirũm collegio, minime id iuris Aduocatoribus amplius in sentẽtijs esse, quę à prætoribus assidentibus iurisperitis quos secum comites ducunt, ut suprà dixi, pronunciatæ essent. Et hactenus quidem satis de magistratibus quibus respublica tum domi tum foris administratur. Verum quoniam non tantum pacis, sed etiam belli gerendi ratio habenda est, quam uniuersam qui neglexere, ut inquit Plato in Politico, nequaquã libertatem diutius tueri queunt: ideo qui recte reip. institutionẽ posteris tradiderũt, illud imprimis admonitos esse uoluerũt, ut ciues instituantẽ ad utrunq; munus, ut scilicet bello gerendo idonei sint, & in pace domi subiecti legibus institutisq; patrijs in præclara aliqua functione uiuãt: ita tamen uirtutes artesq; bellicæ referantẽ ad studia pacis, tanq; ad potiora. unaquæq; etenim res eam habet à natura insitam uim, ut primũ bonũ sibi quisq; cõueniens appetat: deinde ut contrario obsi

m stat

ſtat, nitaturq; quantum poſsit à ſe iniu-
riã propulſare: quæ res in animante na
tura omnium perfectiſsima, dilucidius
dignoſcuntur. Nam unicuiq; animali
tributa eſt uis appetendi, qua proſequa
tur id quod naturæ ſuæ conſentaneum
fuerit. præter hanc unicuiq; adiecta fu
it uis iraſcendi, quã Plato in corde atq;
in præcordijs collocauit, ut ſcilicet ani
mal quodcunq;, eius uirtutis ſtimulis
actum, cõtrarium naturæq; repugnãs
repelleret. Vtriuſq; igitur partis uirtu-
tes, quarũ ſemina in animis hominum
natura indidit, ciuilem uirum fouere
oportet, & ad frugem perducere, ſic ue
& belli & pacis gerendæ rationem ha-
bere. Quę ratio à maioribus noſtris nõ
fuit neglecta, ut quibuſdã uideri ſolet:
ſed quoniã initio in mari ædificata ciui
tas, quæ multis annis imperiũ contem
pſit continentis, terreſtris belli ſtudijs
detineri nõ potuit, uniuerſam ſe ad ma
ritimum bellum conuertit: in quo egre
giam operam nauauit, & pro tuenda li
bertate & in hoſtibus ulciſcendis: mul-
taq; præclara Venetorum geſta priſcis

monu

monumentis memoriæ ꝓdita sunt, plurimiq; triumphi ex deuictis hostibus et eorum classibus superatis reportati: ex quibus facile quiuis intellexerit Venetos in re maritima longe aliis præstitisse. Victa tandem post longum tempus pertinacia precibus finitimorũ populorum, quorũ quisq; sui reguli tyrannidẽ, quam diutius passus fuit, amplius tolerare nõ poterat, adhibuit animũ senatus ad cõtinentis imperiũ: uniuersamq; Venetiæ regionẽ pulsis tyrãnis, ac passim ciuibus deditionem facientibus ueluti postliminio recuperauit: quæ libenti animo redibat ad ueteres incolas, *eiectis & tyrannis exteris, qui ex reliquijs barbarorum in tota regione consederant*, durissimaq; seruitute uictos eos populos premebant. Prolato igitur imperio in continentem terrã præterquam quod bonis legibus, & pacis studijs ij populi erant recreandi, qui nuper uenerant in nostram societatem, danda etiam opera fuit ut tueri libertatem possent in quam se asseruerãt. Cæterum Venetæ urbis situs utpote quæ

condita est in mediis æstuariis, minime patiebatur nostros ciues impensius operā dare bello terrestri, illius ue studio diutius detineri, sine magno periculo seditionis ciuilis. nam ciues illos qui terrestris belli studiis addicti fuissent, maiorem anni partem agere in continenti, ibiq; & equos alere, & terrestribus certaminibus se exercere: quin ut peritiores rei militaris fierent, opus fuerat ut si quando domi ociū ab armis fuisset externa bella adirent, in hisq; animum pariter & corpora durarēt, ut in ea functione cum laude uersari possent & patriæ prodesse: secus autem si fuissent, propemodum non tantum imperatores, uerum etiam milites futuri fuerant. Hæc uero frequens consuetudo continētis urbanæq; intermissio factionem quandam ciuium facile paritura fuerat ab aliis ciuibus disiunctam. quapropter proculdubio res Veneta breui ad factiones ac bella ciuilia deducta fuisset. Omitto interim quàm magnos spiritus animi ciuium cōcepissent, cum plurimū armis potuissent, habuissentq;

frequen

frequentes adsectatores: ut hominum natura semper ad malitiã pronior est. quæ res, ut ex priscorum monumentis facile intelligi potest, semper Romanã rempublicã uexauit, contumacesq; nõ paucos Romanos ciues reipublicæ legibus & senatus decretis reddidit, ac demum Iulium Cæsarem tyrannũ Romani imperij fecit. Ne ergo huiusmodi quispiam morbus in Venetam ciuitatem obreperet, satius maiores nostri esse statuerunt, ut continentis imperiũ externo potius ac conducto milite q̃ Veneto defenderetur. stipendium uero illis statuit ex uectigalibus totius prouinciæ. æquum enim erat eius regionis impensis militem uiuere, qui ad eam tuendam accersitus fuerat. in quã militiam plurimi ciues ditionis nostræ socij adscripti sunt: quorũ nonnulli ad summã imperij in nostro exercitu deuenere, atq; ob res egregie gestas Veneta ciuitate patricioque iure donati sunt. Viget adhuc nostra ætate nomen Bartholomæi Coionei Bergomensis uiri illustrissimi & summi imperatoris,

qui multa præclara bella cõfecit, ac Venetam ditionem auxit: quapropter erecta illi equestri statua in celebri urbis loco à republica honestatus fuit. Ciues igitur Veneti ea de causa, quam retuli, terrestris militiæ honoribus priuati sunt, omnesq; ad exteros delati, cum lege cautum erat, nullum patriciũ Venetum pluribus quàm XXV militibus præesse posse. hæc tamẽ lex nostra tempestate ob bella frequentia quibus uexati fuimus, in desuetudinem abijt. Cũ tamen terrestre bellum ingruit, nõnulli patricij ordinis ciues in exercitũ mittuntur, qui dum bellum urget temporarium magistratum gerũt. quæstores ij sunt, item legati, qui imperatori exercitus externo homini semper adstent: neq; ei quicquam aut facere aut decernere licet, nisi ex legatorum consilio. Bello finito utriq; magistratus domum reuertuntur ac in ordinem redigũtur, nec quicq; amplius iuris habent. hæcq; est belli terrestris ue militiæ ratio apud Venetos. Bello uero maritimo ac nauali ciuitas nostra magis idonea est natu-

ra

ra, cuius studijs semper Veneti studue re. nam in mari urbs condita parum timere poterat terrestres copias, quæ ei negocium facesserent: ac non tantum iniquũ, sed etiam ualde incommodum erat, comparare exercitum ex ciuibus, quem in continentem traijcerent, ac finitimos populos bello lacesserent. At à mari timeri iniuria poterat, tum etiam facile erat illatam ab exteris uindicare: quamobrem uniuersa ciuitas ad studia rei maritimæ conuersa est, atq; iuuentutem legibus instituit, ac totius uitæ consuetudine firmauit. hic enim mos instituendi patricios homines semper fuit, ut à teneris annis usq; ad pubertatem sub pædagogi disciplina degerẽt, ac latinis literis imbuerent pro cuiusq; captu: ab ea ætate, præter paucos quosdã qui literarũ studijs se manciparant genio naturaq; ducti, omnes ferè rei maritimæ ac familiari operam darent. ac alij quidem nauigabant ad longinquas oras, ubi mercaturæ industria rem domesticam augebant, simulq; efficiebantur periti morum ac consuetudinis le-

gumq; multorum hominũ, plurimi con
scendebant triremes armatas atq; à te-
neris annis & corpus laboribus firma-
bant, & animum excolebant rei mariti
mæ disciplina, necnon naualis belli pe
ritia: quibus artibus semper Veneti ex-
celluere. Quin lege cautũ fuit, quæ ad
usq; nostra tempora peruenit, ut in u-
naquaq; triremi armata stipendiũ ex
ære publico non exiguũ daret duobus
adolescentibus patricij ordinis: quo-
rum officium nullum aliud esset, præ-
terquã imbui disciplina rei maritimæ:
ac ut id facilius assequerentur, exigua
quædã munera eis incumbunt, in quo-
rum functione exercitantur ac profici
unt, sicq; idonei fiunt ad maiora capes-
senda. In grauibus uero triremibus seu
ad classem & rem bellicam instructæ
fuerint, siue priuatim ciuibus locatę ad
mercaturã, octo iuuenes patricij quan
doq; destinati sunt: nec mediocre eis sti
pendiũ constitutũ, uel ex pecunia pu-
blica, uel ex ære priuato. tũc ad merca-
tiones locantur, qui nauticis ac bellicis
studijs in eis assuescant. Quin etiã pri-

uato

uatorum nauibus hoc onus legibus im
positum est ad publicam utilitatem, ut
ex ære domini priuati hominis uni seu
duob. si nauis maior fuerit, patricijs a-
dulescentibus stipendiũ soluatur, quo-
rum aliud nullum officium sit præter-
quã exerceri munijs nauticis. Cõcessa
quoq; his adolescentibus facultas est,
ut in triremibus onerarijs ac in naui-
bus priuatorum quibus adscripti sunt,
ferre queant certam merciũ summam
nullo naulo soluto: quam si non habe-
ant, ius hoc suum alijs concedunt ac lo
cant. Qua lege consultum fuit non so-
lum exercitationi iuuentutis, uerume-
tiam utilitati tenuiorũ ciuium, qui an-
gustia rei familiaris premerẽtur. Qua
de re facile intelligi potest à quocunq;,
curam instituendæ iuuentutis minime
à maioribus nostris præteritam fuisse,
ut nõnullis uidetur: imò in ea nauium
triremium copia ducẽti & amplius no
biles adolescẽtes legis istius beneficio
alienis impensis ad rem nauticã instru
ebantur: præterquam quod ciuili con-
suetudine ac more patrio quilibet pa-

tricius iuuenis aut literis aut ſtudijs rei maritimæ operam dabat: in qua exercitatione tum ſibi plurimum, tum rei domeſticæ nonnihil conſulebat ac proderat. Hæ priſcæ leges & huiuſmodi inſtituta etiam noſtra tempeſtate perdurãt, licet plericq; adoleſcẽtes ambitione aut luxu poſt ampliatum imperium corrupti patrias inſtitutiões neglexerint: ac ciuium copia adeo creuit ut noſtra ætate ingruentibus bellis ac rerum domeſticarum ſtipendijs longe plures effecti ſint pauperes, quàm quod ſatis conſuli illis queat iſtius legis beneficio. Ita namq; natura comparatum eſt, ut nihil inter homines perpetuũ eſſe poſsit: uerum cuncta quãuis initio perfecte conſtituta eſſe uideantur, poſt aliquot annos natura in deterius labente inſtauratione indigent: adeò ut quemadmodum corpus prandio ſaturatum diutius incolumitatem ſeruare non poteſt niſi poſt aliquot horas cœna ſucceſſerit: ſic in unaquaq; re opitulari oporteat naturæ ad interitum labenti, atq; inſtaurationẽ adhibere. Huiuſmodi ra-

tionem

tionẽ nos quoq; deo bene iuuante imi
tabimur, ac aliquod remedium excogi
tabimus. quo fit ut hac etiã in parte ni
hil sit in nostra republica desiderandũ.
sed de his hactenus. Nunc à nobis re-
censendi sunt magistratus qui præfici-
untur rei maritimę. Vnaquęq; triremis
ad bellum instructa præfectum habet
uirum patritium, qui in ea triremi om-
niũ potestatẽ obtinet præter quàm ulti
mi supplicij inferendi. ac ueluti in ter-
restri militia Centurio ceu aciei præ-
fectus eorum curam habent qui fuerint
in sua acie. Hic triremis præfectus nau
tas cunctaq; quæ in sua triremi sunt, &
quę ad eius apparatum faciunt dilige
ter curat. Quotãnis quamuis nulla ne-
cessitas sit, Veneti aliquot triremes ar-
mant, quæ reddant mare tutum naui-
gantibus, securamq; nauigationẽ com
pressis piratis præstent uiris bonis qui
res suas agunt sine alicuius iniuria. Prę
ter triremium præsides est totius clas-
sis legatus, qui imperium habet in uni-
uersam classem, ac in cunctos triremiũ
præfectos, hic ueluti legatus exercitus,

nisi

niſi adſit imperator, ius habet & capite mulctandi quos uelit & dirigendi claſſem quò maluerit. hic quoq; magiſtratus ſemper ferè etiam pacis tẽpore creatur, præficiturq; his triremibus, quæ armatæ ſunt. Quòd ſi tẽpora reipublicæ ita poſtulent ut magna claſsis paranda ſit, tunc uniuerſæ claſsi præficiunt imperatorẽ, qui tum in claſſe tum in cunctis prouinciis maritimis ampliſſimam poteſtatem habet, ac eam propè quam olim in Romana repub. Dictator retinebat, niſi quod omnibus in rebus paret authoritati ſenatus & reipublicę decretis. ſummum tamen illi ius tributum eſt, cum in claſſem, præfectos, legatósue claſsis, tum in prætores ac magiſtratus omnes qui cum imperio ſunt in locis inſulisq; maritimis, ac munus publicum exercẽt: adeò ut cum claſsis imperator ad aliquam ciuitatem acceſſerit, cõtinuò ei ſacerdotum clerus obuiam prodeat, claues portarum & arcium ei dentur, iura prętorum ſileant, ab omnibus magiſtratib. ad imperatorem liceat prouocare. Quin ſi ita ei libuerit,

poteſt

potest solus ius dicere, solus administra re pecuniam publicam, ac denique solus omnium potestatem habet. Nullus est apud Venetos magistratus maioris au toritatis, idcirco raro admodum classi imperator præficitur. Non enim teme re nisi rerum necessitas ita exigat, alicui conceditur tam magna potestas ut omnia unius ciuis arbitrio pendeant. Hoc in loco ea lex non est à nobis præ termittenda, imperatorem, legatum, præfectumue classis ullum non posse cum triremibus armatis ingredi Vene tam urbem, neque etiam tunc cum in pa triam redit: sed cum primum Istriam peruenerit, quæ prouincia cētum ferè milibus passuum ad urbe distat, stipen dium nautis ex legis decretis solui de bet, ibique omnes dimitti: deinde trire mes à paucis Venetias deduci solebāt, ac in nauale subuehi sub tecta in eum usum ædificata, ubi tutæ seruātur à uen torum & pluuiarū iniuria: nūc lex hæc non ita omni ex parte seruatur, quēad modum patrum nostrorum tempori bus seruabatur. Recensiti à nobis sunt

omnes

omnes ferè magiſtratus, quibus ueluti coronam & apicem maiores noſtri impoſuere eos, quos uernacula lingua à Græca appellatione educta, ſyndicos dicere conſueuimus. nos eos appellamus recognitores, nouo fortaſſe uocabulo, ſed ſatis idoneo ad idem munus explicandũ. Hi poſt quatuor quinq́ue annos creari ſolent, ac mitti tum in cõtinentis oram noſtræ ditionis, tum in regiões maritimas ac inſulas: recognoſcuntq́; geſta omnium prętorum atque aliorum qui foris publicã poteſtatem habuerint. In quos animaduertunt ea propemodum authoritate quæ Aduocatoribus tributa eſt. Nam ut ſapienter Ariſtoteles inquit, hi qui in poteſtate ſunt, niſi ex alijs pendeant, ægrè in officio perſiſtunt propter ingenitam cuiq́; malitiam. Peregimus iam omnes patritiorum hominũ magiſtratus, quibus reſpub. Veneta domi foriſq́; adminiſtratur: reliquum eſt, ut ea ratio à nobis referatur, qua prudentiſsimi homines maiores noſtri ſemper in officio plebem ac uniuerſum populum continue

runt

runt, rem certè ſuprà omniũ fidem, tot annos populum gubernationis publicę expertem nunquam patritiorum imperium detrectaſſe aut ægrè tuliſſe, nec quippiam unquam molitum eſſe ut mutata reipublicæ forma ipſe quoq; ad ius publicum admitteretur, imò ſemper amantiſsimum atq; obſequentiſsimum nobilitatis ſe præſtitiſſe. Verum ſi quis præter ſitus opportunitatem ualde cõmodi ad rempublicam tuendam, moderationem noſtram in regendo animaduerterit, comperiet populum non omnino repudiatũ fuiſſe: ſed ad ea munera fuiſſe admiſſum, quæ ei committi poterant abſq; rei communis detrimento. Ideoq; facile perſpicere poterit id in hac republica temperamentum extitiſſe, quod cęteris hominibus tũ priſcis tum iunioribus ſemper defuit. Quamobrem eueniſſe etiam comperiet, ut in cunctis alijs tumultus populares frequenter fuerint excitati, qui tandem omnes reſpublicas euerterint. ecõtra in noſtra ciuitate ob eam cauſam nullum unquam tumultum popularem aut ſeditionem

ditionem extitisse. necessarium nanq; fuerat, ut in exordio operis dixi, si recte respub. instituenda erat, populum à gubernatione reip. excludi. qua in parte maiores nostri non tantũ autoritatẽ summorũ philosophorũ ac rationẽ secuti sunt, uerũetiam imitati sunt Sesostrim antiquissimum Aegyptiorũ legislatorem. qui ut in Politicis Aristoteles perhibet, genere distinctos uoluit eos qui armis regionẽ tuerentur, quiue de bono publico consultarent ac iudicia exercerent, ab agricolis mechanicasq; artes exercẽtibus, ac mercenariam operam locãtibus. Verum institutum hoc facile euertere rempublicã poterat, nisi temperatio ea adhibita fuisset, quam maiores nostri sapientissimi homines adhibuere. Primum ergo apud Venetos cõstantissime hoc obseruatum fuit, ut omnibus æquum ius esset, neq; ulli impune liceret uel hominẽ ex infima plebe iniuria afficere, patriciũ uero hominem contumeliã facere plebeio pro sacrilegio ac scelere maximo semper habitum fuit. Quòd si quis temerarius

huiusc-

huiusmodi quippiam perpetrare ausus unquam fuit, nullus quoq; ei fuit impunitatis locus: sed tanto grauiores pœnas dedit, quanto maioris existimationis dignitatis ue extitit. Præterea diligenter à senatu consulitur tum annonę triticeæ, tum omnium rerũ copiæ, quæ faciunt ad uictum ciuium & ad incolumitatem totius populi: adeò ut magna interdum dispendia faciat publicũ ærarium, ne ciuitas penuria laboret. quod exploratum cuilibet esse potest ex his quæ suprà à nobis dicta sunt, cum de præfectis annonæ triticeæ ac de curatoribus publicę salubritatis ageremus. Ac populi quidem hæc duo potissimũ requirunt à rectoribus ciuitatũ, ut scilicet cõmode uiuant in rerũ copia, neq; obnoxij sint iniuriæ potentissimorum ciuiũ: quæ cũ assecuti fuerint, res suas agunt cęterorũ securi. Nihil uero à maioribus nostris omissum fuit, qđ ad ea duo pertineret. quin potius multa præterea addita sunt, quibus mirifice cõsulitur populi cõmodo, atq; eorum hominum inopiæ qui in studijs honestis rei-

publicæ utilibus uersant, aut olim uersati sunt, nec amplius per ætatem aut imbecillitatem ualetudinis id muneris obire queunt. Nam Venetijs innumeræ domus ædificatæ sunt satis idoneæ aptæq; rei domesticæ, quæ hominibus ijsce gratis cõceduntur, in quibus cum familia degant quoad uixerint sine rei familiaris dispendio. His adde quòd in nauali amplissimo, quod uicem oppidi obtinet, constitutũ stipendium est non mediocri hominum multitudini: qui tamen nil agunt seu propter senium seu ob incommodum acceptum, cum tamen tunc cum in florenti ætate essent suum munus in ædificãdis triremibus aut in huiusmodi quopiam munere rei publicæ utili obierint. Præterea ueteri instituto in contractibus emptionis uenditionisq; mercium precioſarum alteruter, emptor scilicet aut uenditor, certum quippiam soluunt pro summa mercium: quod pauperibus nautis impartitur, qui amplius ei officio satisfacere minime possint propter ætatem, quam tamen in ea functione consum-

pserint

serint. Cæterum hæc optima institutа ad continendam plebem in officio reipublicæ nõnullasq; alias leges recensebimus; quæ sapientissime mihi à maioribus nostris inuentæ uideri solent, ut pro eorum hominum conditione satisfactum pulcherrime sit ambitioni & honoris cupiditati, quæ in cunctorum animis natura insita est, nec tamẽ propterea gubernatio nobilitatis ulla in parte perturbetur. Vniuersus populus in duo genera est distributus. nam quidam honestioris sunt generis, alij uero ex infima plebe, ut artifices, & id genus hominum, quod ab Aristotele in Politicis seruorum publicorũ esse perhibetur. utrisq; meo iudicio cõsultũ est nec incommode nec inique. Nam plebeis hominibus qui suapte natura parum honori studẽt, sed potius rei familiaris studio inseruiunt, modica etiam iura concessa sunt, suiq; honores. in tot enim classes distributi sunt, quot sunt artificia in quibus degunt, ac unicuiq; classi propriẽ quædam datę sunt leges, sub quibus sua quisq; exercet officia.

His præficiunt totius classis suffragijs ex eorũ numero nonnulli, qui non incommode artificij illius præfecti appellari possunt. horũ iussu multa præscribuntur, nonnullæq; leuiores lites horũ arbitrio dirimuntur. Quo fit ut plericq; omnes artifices cum eius honoris compotes fuerint facti, in eo munere sibi placeant, putentq; se non parum dignitatis esse assequutos, cum eò peruenerint, ut à sui ordinis hominibus ea præfectura digni habiti fuerint. Sunt præterea in unaquaq; classe inferiores quidam præfectorum, qui tamen nonnullius existimationis sunt. hoc igitur modo magna in parte satis fit honoris cupiditati, quæ indita esse uidetur animis etiam plebeiorum hominum ac infimę plebis. Alterum populi genus honestius in Veneta ciuitate honoratiorem quoq; locum habet, cui priuata quædam ac propria munera sunt constituta decora atq; honesta, quibus patritij ordinis uiri priuati sunt, nec ad ea ulla ratione accessum habent. quorum multa sunt, ut nec patriciũ hominem tum

propter

propter emolumentũ tum honoris titulum eorũ pœnitere posſit. Scribarũ ordo honeſtiſsimus eſt, qui magiſtratibus quibuſq; aſsident. id munus plebis tantum hominibus datur, patricio nulli: quod quamuis illuſtre non ſit, eſt tamen honeſtum. eorũ nanq; fidei & ſolertiæ codices ſcriptaq; publica quibus res omnis priuata & publica continetur, cõmiſſa ſunt. cui prouinciæ qui dignus habeatur, is iure optimo & probi uiri & induſtrij nomen habet, ac exiſtimationem ſibi uendicauerit. atq; id pleriſq; omnibus ſtipendium conſtitutum eſt, ut rei domeſticæ non tantum tuendæ ſed etiam amplificandæ ſatis ſit. Ad hoc hi omnes, qui ſunt à ſecretis ſenatus, ex populo ſunt, patricius nullus. Hic ordo ſuperiore honeſtior eſt, idcirco illi ex populo qui nobiliori genere orti ſunt, eo munere fungi ſolent. reditus habent ex ære publico non mediocres, neq; ullum ſenatuſconſultũ hoſtatet. ſemper nanq; interſunt & collegij ac ſenatus conſultationibus, ex qua re in magno precio ab omnibus habẽt.

Ex his nonnulli seliguntur qui X uiris ministrant, eorumq; acta in codices referunt, ac conscij omnium sunt quæ ab collegio aguntur. quo in honore perdurant quoad uixerint, non per uices quemadmodum patricij uiri in suis magistratibus, quorum nullus præter procuratorium perpetuus est. Horũ qui à secretis senatus sunt, unus primas partes tenet, ac Cancellarius Venetiarum nominatur, qui in maximo est honore. Nam à quouis patricio ei loco ceditur præterquam à procuratoribus. nullum is reipublicæ ignorat arcanum: magni quoq; sunt ei reditus ex ære reipublicæ constituti: ac cum diem obierit, funebri oratione honestatur: quæ dignitas nulli in Veneta ciuitate deferri consueuit, præter quam duci, aut cuipiam ciui qui sit extra aleã, ut dici solet, præterea memini, quasi Cancellarius ducem ex populo referat. hic unus creat comitijs magni consilij. Cæteri omnes qui à secretis sunt X uiris eliguntur, atque subduntur eorũ censuræ, si quid in functione publica quam habent deliquerint

querint. Omnes etiã populares cœtus, ut artificum classes & cuiusq; artificij præfecti, nõnulliq; alij de quibus infrà dicemus, ex arbitrio x uirũm pendent ac eorum ditioni subiecti sunt: illiusq; collegij authoritate & initio constituti fuere & nunc cõtinentur. Sapiens certè institutum, ut is magistratus prouideat, ne huiusmodi cœtus qui ad bonum publicum sunt instituti, quãdoq; simulatione officij aliquid in rempublicam molirentur: qui ad eius morbi cautionem initio creatus fuit, ne qua scilicet malorũ ciuiũ cõspiratio facesseret negociũ reipublicæ. Sunt præterea Venetijs quinq; societates initæ sub diuorum quorundam nomine & religione, innumeri homines sunt & plebei & patricij ordinis. Harũ suas quæq; uestes habet suaq; insignia, quibus tamen nõ semper ac passim utantur, sed cum simul coacti prodeunt, aut ad honestandum cuiuspiã funus, aut ad sacrũ quod piã munus. Festis diebus statutis cuncti ferè in suam societatem coguntur. ibi sacris primũ interfunt, deinde inuisunt

templa deorum immortalium, deumq; optimũ supplicationibus pompaq; solenni uenerantur. harum quæq; societatum propriã ædem habent, in qua amplum atrium ædificatum est, quò statutis diebus cõueniunt, ut exhibeãt officium religioni quod debẽt. Etenim celebrãt quãdoq; sacra mysteria, interdũ simul coacti templum cuiuspiã diui inuisunt, sæpius exequias ac funus fratris exornãt, cum eorũ quispiam diem extremum clauserit: cuius etiã delicta expiant sacrificio ac precibus identidẽ repetitis. Præter amplissima illa atria singulæ destinatũ conclaue habent, in quod coguntur societatũ præfecti. qui magistratus est annuus, atq; inter plebeios nõ mediocris dignitatis. hi simul cõgregati de agendis cõsultant, dantq; operam ne qua in parte desint bono societatis. eorũ quoq; fidei magna uis pecuniæ pauperibus erogandæ cõmissa est. nam priscis temporibus tam ingentis fuerũt existimationis hæ societates, ut plurimi qui rem suam testamento legauerant in usum pauperũ distribuendam

dam, hos potissimum tutores fecerint, quorũ arbritrio ea pecunia erogaretur, quo effectum est ut harum societatum aliquæ copia facultatum quę in hos usus erogãdæ sunt, quotannis procuratoribus diui Marci concedant: qui magistratus patricius amplissimus est. Ad hunc honorẽ, præfecturã scilicet istam societatum, patricijs uiris nullus est accessus, quãuis sint è numero fratrum: sed plebei tantum homines illius dignitatis compotes esse queunt, ut hac etiã in parte populus nobilitatem æmulare tur. hi nanq; societatum præfecti quodammodo in populo referunt procuratoriam dignitatẽ. Verum ne qua ratione huiusmodi societates atq; hi præfecti reipublicæ officerẽt, omnes sub potestate xuirũm continentur, ut ne quid immutare queant, aut in unũ cogi præter tempora statuta, nisi ex eorum arbitrio ac potestate à decẽuiris impetrata. Huiusmodi honores in nostra repub. uiris plebeis utriusq; ordinis constituti sunt, ut omnino expertes non essent iuris publici ac ciuilium munerum, sed

cupiditati honoris ambitionisue hac ratione satis facerent, nõ sollicitato perturbatione statu nobilium. Quo gubernationis temperamento id est respublica nostra consequuta, quod priscarum nulla alioquin illustriũ. nam à primis initijs usq; ad hęc tempora mille ac ducentis annis tuta perseuerauit, non tantum ab exterorũ hominum dominatu, uerumetiã à ciuili seditione quæ fuerit alicuius momenti. quod adepta est non ui ulla aut armatis satellitibus seu munita arce, sed æqua ac temperata ratione regendi: adeò ut populus libenti animo pareat nobilitati: neq; ullam mutationem rerum optet, quin potius egregie sit affectus nobilibus. Quæ res nostra tempestate potuit esse cõpertissima. Nam cum omnes Christiani principes cõspirassent in perniciem atq; exitium nominis Veneti, fususq; noster exercitus fuisset à Ludouico Gallorũ rege iuxtà Cassanũ oppidũ agri Cremonensis ingenti clade accepta, imminerentq; inde Germani, hinc Iulius Romanus pontifex, ac uniuersa penè con

tinentis

tinentis ora ab imperio Veneto defci-
uiſſet: ea rerũ anguſtia perturbatus Ve
netus populus, adeò nihil in nobilita-
tem eſt molitus, ut lachrymãtes omnes
ſe ſuaq; obtulerint ad reipublicæ defen
ſionem, reſq; ipſa præſtiterint. Nam Pa
tauio urbe propter incolarũ animum
erga nos egregie propenſum nullo ne-
gocio recuperata, cum Maximilianus
Imperator undiq; cõtractis auxilijs in-
genti exercitu eam urbem obſediſſet,
quàm plurimi non tantum patricij ue-
rumetiam plebei ordinis ſponte cum
militibus ſtipendio eorum priuato con
ductis ad tuendam illam ciuitatẽ profe
cti ſunt, egregiamq; in ea expeditione
operam nauarunt: adeò ut imperator
coactus fuerit reducere exercitum ex-
pugnatione urbis non tentata. nec mi-
nori negocio aliæ quoq; ciuitates recu
peratæ ſunt, maximo populorum om-
nium fauore ex alieno imperio ad Ve-
netum ueluti ad portum tutiſsimũ con
fugientium. Euidens certè argumentũ
iuſtæ dominationis cũ uolentibus im-
peratur. quod non abſq; ratione conti-

giſſe

giſſe, ſi quis bene attẽderit facile comperiet. Cuiq; etiam ciuitati quę in ſocietatem Veneti imperij uenit, municipales leges relictæ ſunt, multisq; honoribus ciues in ſua quaq; ciuitate potiuntur. nonnulla oppida in agris urbium ſita eorum ratione gubernantur. His adde quòd prætoribus ciuitatum qui illuſtres ſunt, aſsident cum ius populo dicant homines iuriſperiti: quibuſcum conſultant antequam quippiam decernant. qui honos eſt nõ exiguus, nec modicum inde emolumentũ ad eos uenit. huius generis magiſtratibus fungi patricij Veneti nõ poſſunt, ſed uel ex Veneto populo, uel, ut plerunq;, ex ſocijs ciuitatibus deliguntur. Ex quibus facile quiuis intelliget, eam adhibitã fuiſſe in hac republica moderationẽ, quæ maxime uideatur rerum naturam imitari. Nam in animantis corpore uidendi officium reſpiciendiq; munus ſolis oculis eſt attributum. reliqua uero munera ignobiliora cæteris membris relicta ſunt, quæ uſu uidendi careãt, ſed pareant, nec aliquo pacto obaudiãt his quę

ab ocu-

ab oculis ita esse nunciata fuerint, neue aliò ferantur quàm quò oculi ea direxerint: sicq; optime uniuersum corpus cõsistit & conseruatur. Non dissimili ratione in republica Veneta summa rerum gubernatio patritio ordini est demandata, ueluti quibusdam oculis ciuitatis, ignobiliora officia cæteris ex populo: sicq; tanquam bene compactum corpus Veneti felicissime uiuũt, cum oculi reipublicę non sibi tantum sed uniuersis membris prospiciunt: cæteræ uero ciuitatis partes, nõ tantum sui habeãt rationem, uerum etiam hisce oculis ueluti potioribus membris reipublicæ libentissime obtemperent. Quòd si in quapiam republica eò insaniæ uenerint ciues, quod in plerisq; cõtingit, ut populus uidendi munere fungi uelit ac oculorum officium usurpet, continuo uniuersam rempublicam necesse est euerti. Quòd si etiam patricij ciues sibi tantum prospexerint, alia uero ciuitatis membra contempserint, irritato populo ad perniciem nobilitatis proculdubio reipublicæ male successerit. Nostri

ſtri maiores naturam imitati utricꝫ in-
cõmodo prouidêre, illamcꝫ præſtitere
moderationẽ, ut nullus niſi inuidus lo-
cum habeat obtrectandi tam legitimæ
quàm optimæ inſtitutiõi. Quam deum
optimum precamur diu ſeruet incolu-
mem. ſi enim quippiam boni à deo im
mortali hominibus prouenire eſt cre-
dibile, hoc præcipue diuinitus
Venetę urbi obtigiſſe per
ſuaſiſsimũ eſſe
debet.

CASPARIS CONTARENI DE
republica & magiſtratibus Vene
torum libri ultimi finis.

BASILEAE APVD FROBENI-
um & Epiſcopium Anno
M D XLVII.




FRO BEN


KÖNIGL

BIBLJOTEKA KÓRNICKA
14041
14042



